VITT. EMANUELE

LIBRERIA
ANTIQUARIA INTERNAZIONALE
DOTT. LIBERO MERLINO
ROMA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
262
10 A
7

262.10.A.7.

VICTORIS *TRINCAVELLII* VENETI

MEDICI OMNIVM NOSTRA tempeſtate facilè principis,

DE VENA IN PLEVRITIDE, CAETE-riſq; internorum inflammationibus ſe-canda rudimentum

Nuper à proprio Authore diligentiſsimè caſtigatum, & in lucem editum.



PATAVII, M D LXIII.

HIERONYMO MARCELLO VENETO PATRICIO VIRO optimo ac Doctiſsimo,

VICTOR TRINCAVELLIVS MEDICVS VENETVS S. P.

EOS equidem Hieronyme doctiſsime ac magnifice, ab humanitate hominisq; officio plurimum deficere ſemper exiſtimaui, qui ita ſuo viuunt arbitrio, vt nunquàm aliorum conſilia, & admonitiones admittere velint. Solus enim homo ea conditione in rerum omnium vniuerſitate naſcitur, vt non ſolum ipſe ſua opinione & ſententia viuat, ſed ſæpiſsime etiam ſecum præſtantiſsime agatur, ſi ſe amicorum conſiliis & exhortationibus flecti patiatur. Itaq; cum ſuperioribus his annis, quæſtio illa, qua.ſ.vena ſecta principiis inflãmationum internorum viſcerum occurrere magis expediat, à præſtantiſsimis medicis iterum eſſet in cõtrouerſiam reuocata, paſsimq; non modo in publicis gymnaſiis, ſed vbicunq; etiam aliqua, vel mediocris haberetur medicinæ ratio magnis contentionibus tractaretur, nos etiam ad officium noſtrum pertinere cenſuimus, ſi collectis his omnibus, quæ hincinde afferebantur ac diligenter perpenſis & examinatis, tandẽ conſtitueremus qua via nobis cum huiuſcemodi morbi curandi offeruntur inſiſtendum ſit, veſtigia tamen primorum medicinæ parentum non deſerẽtes. Statim ergo rem hãc aggreſſus ea omnia

quę ex iugi lectione diligenti examine colligeramus,ad faciliorem memoriam potius quàm ad editionem, uel oſtentationem,in commentariolum digeſsimus, neque hac re tantum contenti, illud etiam iudicio amicorum, qui mihi fide,& bonis litteris erant probati libenter ſubieci. Quo facto id mihi,deinde quod nequaquàm cogitaueram euenit. cœperunt enim illi me ſuadere vt illud in publicum ederem. à qua tamē re adeo eram alienus, vt niſi fuiſſet mihi fides eorum perſpecta, dubitaſſem profecto ne ab illis deluderer. erat enim mihi merito timendum,ne ſi & ipſe ea de re,de qua tot, tantiq; viri luculentiſsime ſcripſere meam aperte ſentētiam protuliſſem, viderer quod in prouerbio eſt, inter olores anſer obſtrepere. Sed cum tu etiam,quem ob præclaras virtutes & ſummam eruditionem maximi ſemper feci & facio,eo lecto me nō modo exhortareris, ſed etiam impelleres,malui non ſine honoris mei aliquo diſcrimine me ab amicis vinci,q̄ nimium pertinax videri. Verum enim uero cum nimium dubia videretur hæc mihi alea iacienda,illud ſtatim ego remedium excogitaui,vt tibi dicatus libellus in publicum prodiret,non ſolum ea ratione, vt nomen tuum,illi quidem gratiam, mihi vero excuſationis occaſionē afferret,verum vt,quandoquidē te exhortante huic oneri humeros ſuppoſui, te quoque in hunc campum mecū educerem & quoquo modo mihi ſocium aſsiſcerem,qui cum ſub onere labantem me videris,manum ſaltem admoueas,meq; Ariſtotelicæ ſententiæ memor,conſultorem cum authore ſub eadem cauſa contineri, ſi qui forte conſilium hoc noſtrum damnaturi ſint,aliquando aut defendas,aut ſaltem excuſes. Vale.

VICTORIS TRINCAVELLII VENETI MEDICI,

DE VENA PLEVRITICIS, ET ALIIS præterea qui viſcerum inflammationibus tenentur ſecanda rudimentum.

IN Morbo coſtali & cęteris præterea viſcerum inflāmationibus ſemper ferè inter præcipua remedia illud repoſitum fuit, vt ſtatim in initio ſanguis mittatur,ſed qua vena ſecta id agendum ſit in præſentia non æque conſtat, vt hac nuper de re sūma contentione paſsim habeantur diſputationes. nā cum iamdudum cōſuetudo invaluiſſet,vt medici oēs venam eam ſecarent,quę procul & in loco contrario affectæ particulæ eſſet,his annis,poſtea q̄ plurimi ex his,qui litterarum ſtudiis addicti ſunt, arabum authorū barbariem quaſi faſtidientes,quibus tamen maiores noſtri primas ferè partes detulerant, mutata ſtudiorum rōne ad cultiores elegātioresq; literas, non mō in medicina & philoſophia,ſed in cæteris ēt liberalibus diſciplinis,cōuerſi,ſe totos græcis authoribus tradidere ſperantes ſe noſtris ēt temporibus ſtudia literarum reparata viſuros, ad priſtinumq; illud & illuſtre antiquorū exemplar reformata. multi proſiluerunt, qui ſibi tm̄modo Hipp.& Gal.in medicina colendos & imitandos propoſuerant,putantes ab eorū dogmate veterē illam cōſuetudinem,q̄ ab arabibus defluxiſſe credidere, eſſe oīno alienam.vnde illam omni ope,& quibus potue-

runt rõnibus,& authoritatibus nixi ſunt,& ſi videretur ex longo tpe ſibi quaſi prǫſcripſiſſe,infringere & euertere. Itaq; cum hæc qõ ſit ex earum numero quæ in medicina maximi momenti habendæ ſint. eos.n.morbos cõprehēdit in quibus medicos,qui ſe egregie geſſerint,admirandos eſſe in principio libri de victu acutorum morborum cenſuit Hipp. Nos etiã facturos operępreciũ exiſtimamus,ſi rationibus vtriuſq; ſectæ diligenter ad examē reuocatis,& pro viribus noſtris optime diſcuſsis, conabimur elicere & tanq̃ exprimere aliquid quod ad veram medendi rõnem quo ad eius fieri põt,propius accedat. Verum antea eos in quorum manus venerit hoc noſtrum cõmentariolum monitos velim,nos nõ ad editionem illud elaboraſſe,nec ea ſpe,vt credamus opus aliqđ conſcripturos,quod lectione dignum ſit cenſendũ. Sed animũ ad hęc ſcribenda appuliſſe tantummodo in cõmodum noſtrum,vt hac rõne diligentius omnia examinantes,& inuicem conferentes, maturius poſtea quid nobis ſit agendum decerneremus. Quapropter eos rogato volumus,vt ſi quid,aut minus cultum,aut etiam aberratum offenderint,corrigant,ac amice moneant,non autem criminentur. nihil enim nobis gratius eſt,quam moneri,& diſcere,ſi quando videamur minus recte ſentire.

ITaq; in primis qui illum medicorũ cõmunem conſenſum,& veluti pacem perturbauerũt,repoſuerim ego Petrum Briſſotum Pariſienſem, virum ſane bonarum litterarum nõ ignarum. is.n in quadã veluti Epidemica pleuriticorum conſtitutione cępit,quotquot illi offerebantur pleuritici vena ſecta in partis morboſæ brachio,ſtatim ẽt inter morbi initia curare . reclamantibus tamen medicis fere oĩbus,criminantibusq;.qua re tandẽ laceſsitus in certamen deſcendit,& libellum ea de re doctum ſane & elegãtem edidit.nos aũt ne tempus fruſtra conteramus, eã oĩa de quibus ipſe copioſe, & diffuſe di-

Petr. Briſſotus Pariſien.

ſputat

ſputat in tria capita breuibus redacta perſtringemus. habetur.n.paſsim venale cōmentariolum, quod poſsit legi facile ab his, qui illius fundamenta prolixius perlegere voluerint. Sed nobis in tribus videtur tota vis Briſſoti conſiſtere. primo.n.rationem eam explicat, qua motus tum ipſe ſanguinē in pleuritide ex affectæ particulæ brachio inter initia detrahit, tum alios etiam medicos iure, niſi ita egerint, increpandos eſſe cēſet. Deinde vero hoc idem Hipp.& Galenum ſenſiſſe multis hinc inde collectis ex eorum libris authoritatibus mōſtrare contendit. Et poſtremo ad diluendas rationes aduerſariorū inſurgit. itaque ab ipſa ratione exordium ſumemus, quia ipſe etiam præ cęteris omnibus illi maxime videtur cōfidere & inniti, quæ mea ſententia talis eſt. Ea remedia aliis omnibus ſunt præ ferenda, quæ citiſsime poſſunt opem laboranti particulę afferre, quæq; etiam prodeſſe quidem plurimum poſſunt, parum vero, vel nihil obeſſe, & prætęrea commodiſsime citraq; quodcunq; periculū adminiſtrantur. Hoc quidem adeo euidens eſt, vt nulla clariōri egeat probatione. quis.n.eſt rudis adeo, qui nō videat acutos morbos, ꝙ celerrimi motus ſint, niſi ſtatim illis occurreris, cito ad interitum hominem deducere poſſe. Sanguis ex ea vena miſſus quæ directe & ex eadem parte, non aūt contraria reſpicit locum affectum ea omnia facillime præſtare poteſt. quod facile probauerimus ipſi eſſentiæ morbi tanquam fundamēto innixi. ab illa enim prima ſtatim indicatio prodit. nam ſi pleuritis inflammatio eſt membranæ internæ cōtegentis coſtas, quæ gignitur ex influxu ſanguinis in eam partem delapſi & multitudine diſtendentis, caliditate vero alterantis locum illum, qui hanc deinde ob cauſam plurimum dolet, ea ratione huic malo ſuccurres, ſi influxum & motum humoris interceperis, & ſi quid præterea locum iam occupauerit, euacuaueris ſed quę vtraq; efficaciſsime pariterq;

celerrime pręſtat, eſt ſectio venæ ex eodem latere, quod euidentiſsime probat Gal. in commentariis in ſecũdum librum de victu acutorum morborum. vim enim habet ſanguis ex ea vena miſſus reuellendi & euacuandi quicquid in morbidam partem defluens, illi cauſa eſt doloris, & tumoris, inflammationisq́; & vt eſt laboráti particulæ propinquior, & affinior, ita etiam illi effectus illos celerius citra omne incommodum & periculum impartitur. A loco enim nobiliori ad viliorã, & in quo minus ſit periculi. vtpote à thorace ad brachium vel cubitũ noxium ſanguinem conuertit. & præterea ſanguis infeſtus detrahitur & vitiatus; qui vero integer eſt, relinquitur. neq; enim alia ratione motus Hipp. conſulit permittendum fluere donec mutetur color. Facillime etiam & cõmodiſsime adminiſtratur, cum nihil ſit, quod huic operationi aduerſetur. quia in eam partem retrahit, & euacuat, in quam ſponte natura propellit, vt idem Gale. author. eſt. Contra vero eueniunt omnia ſi ſanguis è vena mittatur quæ procul aut in parte contraria loco affecto exiſtat. neq; enim poteſt ab huiuſcemodi remedio auxilium expectari, niſi tardum, & imbecille. illud enim è vena ſecta loca propinqua cito & valide pertingit, vt Gal. docet, tarde vero & inualide remotiora. Id præterea incõmodi annexum habet, quod ſanguinem integrũ & ſalubrẽ detrahit, corruptum & morboſum relinquit. cum ſectæ venæ primum profluat proximus ſanguis, deinde quo remotior. Conuertit etiam prauũ ſanguinem, non dicam ad partem viliorem, ſed ad æqualem, vel digniorem. aut enim ad oppoſitam thoracis partem. quo fit ſæpe vt ſecta oppoſiti lateris vena, inflammatio in alterũ ſatus permutetur. vel ad iecur, ſiue cor ſicut, ſi è venis pedum aut crurum ſanguis detrahatur: quod plurimum videtur dogmati Auicen. aduerſari. qui cauendum præcipit in reuulſionibus, ne fiat tranſitus ſuper princi-

pali


pali membro. nec facilis eſt ea operatio cum ſit contra naturæ propenſionem, cum tamen moneant Hippocrates & Galenus ſequendum naturæ motum. Plurimas deinde hincinde authoritates ex libris tum Hippocrat. tum maxime Galen. colligit quibus decretum hoc Hippocra. Galeniq; eſſe aſtruere nititur, quas in præſentia recitare nolumus, quia eaſdem ferè omnes refert Curtius, qui authoritatibus magis cõfidere videtur,& ideo ne eadem ſæpius repetere ſit neceſſe: de illis eo loco agemus,quo res nobis cum Curtio futura erit. Nũc ad eam partem tranſeamus,qua aduerſariorum rationes infringere nititur Briſſotus. Et quia vniuerſa ferè vis rationũ eorum in hoc videtur ſita,quia inter initia inflãmationi ſupradictarum partium reuulſione maxime occurrendũ eſt. & reuulſionis ratio id expetere videtur vt procul & in contrarium ſucci defluentes retrahantur. quod Gal. docet quarto & quinto libro de methodo curandi morbos. ſanguis vero è vena in eodem latere miſſus,ſuccos defluentes neque procul, nec in contrarium conuertit. cum ex eadem parte,& prope affectum locum profluat. quamobrem concludunt ſectionem venæ in eodem latere non eſſe remedium quod initiis inflammationum ſit congruum. Briſſotus dum huic rationi reſpondet,interdum cauillari nonnunquam illudere videtur, quandoq; iocari,eorum vero omnium quæ à Briſſoto in hac re ſcribuntur,hæc mihi videtur eſſe ſumma. cõcedit enim procul eſſe retrahendos ſuccos,& in contrarium,tamen nulla propterea neceſsitas cogit,vt quàm lõgiſsime trahantur, ideoq; in reuulſionibus, aliquod quidem concedit interuallum,ſed non ſemper maximum. Sepe enim hoc ſatis eſt,vt non conducantur ſucci moleſti per affectam particulam,nec per quampiam aliam quæ præ affinitate illi conſentiat, aut condoleat, quandoque etiam expedit vt remotius cõuertantur. Et huiuſce varietatis ratiõ petenda

petenda eſt cum à diuerſa morborum natura, & eorum membrorum quæ morbis tenentur. tum ex natura eorum inſtrumentorum, quibus reuulſiones perficiuntur. itaq; primum ſi retractio fiat ad remotiſsimas partes, ea vt vim conuertendi vniuerſam ſanguinis molem, ita imbecilliorem habet qua poſsit ſanguinem mouere, & reuellere, qui prope locum affectũ inſideat. quia hæ actio nes prius, & validius, proximas partes pertingunt, poſte rius & languidius remotas. quæ vero reuulſio adminiſtratur in parte non admodum remota, quãuis non æque molem ſuccorum in ſe conuertat, tamen celerius laboranti particulæ ſubuenit. Igitur medico qui à ratione di rectus morbos curando aggreditur, perpendendum eſt, cum fortis indicatio reuulſionis exoritur, utrum magis præſtet, & urgeat totam ſuccorum molem moueri neglecto dolente loco, ꝙ ſcilicet non plurimum exigat celeritatem. an potius ut ex affecto loco celerrime & plurimum retrahatur quod maxime in acutis morbis: & ſæpiſsime, euenit, quales ſunt coſtalis & cæteræ uiſcerum inflammationes. in quibus motus celerrimi ſunt, & plurimum habent concitatam excretoriam facultatem, vt niſi quamprimum illis ſubueniamus, homo deploretur. vnde ron poteſt mature opem ferre reuulſio quæ remo ta admodum ſit. & ideo tutius eſt, & rationi magis con ſonum, in iſtiuſmodi morbis per partes propinquas reuellere. Pręterea varia etiam ſunt excogitata ingenia, & inſtrumenta, quibus reuulſio fit, & ea diuerſa plurimum tum natura, tum ratione operationis. utputa miſsio ſanguinis per ſectam venam, & præterea per irrudines, uel cucurbitulas. frictio etiam, motus, exercitium, vincula, & quæcunq; alia dolorem inferunt, calidiora medicamenta, purgatio per aluum, per vomitum, per mariſcas, per ſudorem, & alia quæcunq; ſimilia, quæ facultatem habent ſuccos mouendi, & trahendi, calore, aut dolore:

aut

aut inſita vi: aut quadam corporũ conſequentia, vt inane vitetur: quæ quidẽ omnia etſi retrahendo ſuccos cæteras partes reddant vacuas, plerunq; tamẽ eas replent, in quibus actiones illæ adminiſtrantur. unde ſæpe tum illas, tum proximas calore afficiunt, & dolore infeſtant, qua ratione deinde incõmodum afferunt laboranti particulæ. Sãguinis autem miſsio quę fit vena ſecta, ab omnibus his offenſis libera eſt. neq; enim partem quãpiam replet, nec calfacit, vel dolore irritat: ſed potius exinanit, & refrigerat: & ideo reuulſio per ſectionẽ venæ nõ æque procul adminiſtranda, ſicut quę per reliqua inſtrumenta. Vnde Hippo. etiam & Gal. cum eius retractionis meminerunt, quæ procul ſit faciẽda, ne verbum quidem de venę ſectione faciunt. ſed ſemper fere, profluuium alui aut vrinæ: & pariter frictiones, & vincula & cętera huiuſcemodi in medium afferunt. Et vt omnem tandem fidem illi ſectæ ſubtrahat, addit Briſſotus, ꝙ quãuis concedatur illis retractionem ſemper ad remotiora faciendam, quo etiam modo volunt ipſi, nunquam tamen propterea effici vt vena oppoſiti lateris ſit ſecãda, ſi quis rerum naturam recte contemplari voluerit: cum nequaquàm maius intercedat interuallum inter affectũ locum in coſtali morbo, & cubitum lateris oppoſiti, quàm inter illum eundem locum, & cubitum eiuſdem lateris, ſi venas metiri voluerimus, per quas ſanguis ad inflammatum locum defluit, & per quas eſt etiam reuellendus: quia venæ quæ in partes utraſque pertendunt ſuperioris pectoris, illis ſanguinem ſubminiſtrãtes, ab eadem caua vena & in eodem loco ſuboriuntur, & deinde vena caua ad iugulum aſcendens in duas partes ſecatur, quarum altera per alam dextram ad cubitum dextrum defertur, altera per ſiniſtram ad ſiniſtrum ab ortu earum vterq; cubitus pariter diſtat. & interuallum quod intercidit inter locum affectũ, & ortum iſtarum venarum idem & commune

mune vtriſque eſt,quod ipſe diagrammate quaſi mathematico oſtendit. Ait enim ſignetur locus quo caua vena prope iugulum bipartita verſus vtraſque alas delata, ad



cubitos tendit littera. A.locus vnde exoriuntur venæ vtrinq; pectori inſortem datę,littera B.pars deinde inferior cauę venę,quę à iocinore prodit.C.locus inflammatus.D.dexter cubitus.E.ſiniſter.F.vbi ſatis euidens eſt,tantundem eſſe interualli inter.B.& F.quantum inter.B.&.E.& ſpacium.D.B.vtriq; eſt cõe. igitur quantum ad rationem diſtantiæ,nihil eſt quod magis cogat in oppoſito latere venam ſecare,quam in eodem.

Quod vero pertinet ad id quod aiunt reuulſionis formulam expetere vt in contrarium ſucci conuertantur,concedit ille. ſed hoc præterea addit,nõ ſemper eſſe neceſſarium vt ad extremos vſq; terminos cõtrarietatis deducantur,quia non modo contrarietas inter extrema ſeruatur,ſed inter media etiam,ſunt.n.contrarii motus & qui de extremo in extremum tendunt,vtputa qui ex calidiſſimo in frigidiſsimum,& contra,& qui è mediocri calido,in mediocre frigidum,& contra.Itaq; in contrarium ſatis conuertetur ſanguis ſi eo reducetur vnde defluere cœperat,& cum à caua vena ſanguis per venas,quæ per pectus diſpartite ſunt,defluat ad locum phlegmones,ſi iterum verſus cauam venam reuellatur,negari non poteſt,quin in contrarium diſtrahatur,quod optime fit vena ſecta in latere eodem. Quamobrem,ſi illa ſecetur,ſimul & euacuationis,& reuulſionis,formula ſeruatur, q̃ vtraque ſunt plurimum neceſſaria in huiuſcemodi morbis.Hęc mihi videtur eſſe ſumma oĩum ferè quæ Briſſotus ſcripta reliquit,aut ſaltem eorum quæ pręcipua ſint.

Matthęus Curtius.

BRiſſoto Matthæus Curtius Papienſis vir hac noſtra tempeſtate tota Italia medicinæ profeſſor celebris non modo ſubſcripſit, verum & decretum

illius

illius quibus potuit rationibus,& authoritatibus ampli ficauit:& omni ingenio nititur in ſuam ſententiam vbiq; Hipp.& Gal.trahere:& viam omnẽ præcludere aduerſariis reſpondendi,aut alio modo exponendi verba horum authorũ,quę ſuo dogmati fauere videãtur,nec modo hos, verum & Arabas idipſum ſenſiſſe contendit ab Hippo.autem anſpicatur. Itaq; locus primus in quo etiã ſumma huiuſce rei vniuerſa,& veluti huiuſce cauſæ ſtatus conſiſtere videtur,exceptus eſt ex lib.Hipp. de victu morborum acutorum.2.& 4. vbi ait quòd ſi cuius morbo coſtali laborantis locum dolentem foueris calidis euaporatoriis,quibus dolor non lenitur, imo quandoque magis excitatur: illis diutius non eſt immorandum, ſed obſeruandum quo modo ſe dolor habeat, quia ſi videatur ille vſque ad iugulum,vel humeros,aut brachium aſcendere, ſtatim expedit venam ſecare in cubito & eouſque ſanguinem profluere,quouſque eius color immutetur. Hoc idem ſcriptum reliquit in tertio de articulis libro. Sed in quarto deinde de victu acutorum morborum exactius exprimit à quo nam cubito mittendus ſit ſanguis, & ait ab ea parte in qua dolor magis fuerit moleſtus. quo loco omnem videtur Hippocrates tollere ambiguitatem, & dubitandi occaſionem, & penitus veterem illam conſuetudinem euertere, qua in principio, aut in cubito,oppoſito,aut in crure eiuſdem lateris venam ſecant. Qui vero eam conſuetudinem defendere ſibi propoſuerunt, laqneum hunc vario modo nituntur effugere. Alii enim aiunt venam ſecari in morbo coſtali: vel euacuationis,vel reuulſionis cauſa. ſiquidem reuulſionem quæramus,expedit magis,vt in oppoſiti lateris cubito ſecetur,vel in pede eiuſdem. ſi vero euacuationem, aptior eſt vena in latere eodem. Et quia reuulſio præſeruationi,ſeu cuſtoditrici medicinæ parti,euacuatio vero curatrici propria eſt,ideo in li-

bris.2.& 4. de victu acutorum morborum,quibus in locis non tutelam,aut præuiſionem in coſtali morbo, ſed potius curandi rationem docet, Hippocrates venam iubet ſecari, quæ directe & ex eadem parte locum affectũ reſpiciat,cui præcipue vis eſt uacuandi eum locum. Verum ſupponit prius eſſe recte peracta quæ ad præuiſionem attinent. vtputa reuulſionem,quæ ex contrario loco facienda eſt. Alii vero aiunt voluiſſe Hippoc. venam ex eodem latere ſecandam cum materia omnino fluxerit,& morbus iam ad vigorem,& vt ipſi aiũt,ad ſtatum, deuenerit. Quoniam commodiſsime ea vena ſecta detrahitur ſanguis,qui iam continetur in particula inflammata. Cũ vero defluere incipit,aut fluxurus eſt,facilius intercipitur eius motus,ſecta vena in loco aliquo oppoſito. Nonnulli etiam alio modo reſpondent, huius reſponſionis occaſionem ex. 4.lib.methodi curandi, & 2. ad Glauc. accipientes à Galen. qui docet triplicem eſſe euacuandi modum, primum per reuulſionem, ſecundum per deriuationem, tertium per euacuationem, quæ ſtatim ex affecto loco fit. Quiquidem differunt,quia reuulſio procul fit ab affecto loco, deriuatio, prope, euacuatio ſtatim ex ipſa morboſa particula. Præterea,reuulſio ſuccos defluentes in contrarium conuertit, euacuatio per eundem locum in quem natura propellit,deriuatio cum ſeruet rationem mediam, neq; pœnitus in eundem locum,neq; omnino procul & in contrarium,ſed in latus & in vicinum educit. Tertio etiam differunt ratione temporum morbi in quibus hęc commodius adminiſtrantur. in principio enim cum ſanguis influit,reuulſio. cum pœnitus aut magna ex parte influxit,deriuatio. poſtremo cũ morbus inueteraſcit,euacuatio neceſſaria eſt. Aiunt: ergo hi Hippo. præceptum deriuationem reſpicere cum materia defluxit omnino,aut ex magna parte. qui propterea tamen nõ negaret inter initia morbi,cum

maxime

maxime viget reuulſionis indicatio, mittendum eſſe ſanguinem ex latere contrario. Contra hos omnes inſurgit ille, & nititur monſtrare ſeriem verborum Hippoc. non tolerare quampiam ex his expoſitionibus, ſed apertiſsime aſſerere ſtatim inter initia cum fluit adhuc materia factura inflammationem, venam in eodem latere ſecandam eſſe. & pluribus rationibus agit. Primo namq; cum duplex, vt ille ait, ſit materiæ fluxus. alter ad venas & arterias inflammationi circũſtantes. alter ex his ad ipſam inflammationem, quærit dum Hipp. præcipit dolore aſcendente ſecãdam venam in cubito lateris eiuſdem, deſcendente, aluum veratro ciendam. id vero tu agendũ credis, vt defluxa iam materia detrahatur. eam ne voluerit Hippo. detrahi, quæ circunſtantia loca influxit, aut potius quæ in ipſa phlegmone recepta eſt. Quia ſi eam quæ locos circũpoſitos occupauit, ſequitur ſtatim ab ipſo morbi principio ſecãdam venam lateris eiuſdem. inter prima enim phlegmones initia iam repletę ſunt omnes tum venæ, tum arteriæ vicinæ & circũpoſitæ. Quòd ſi non hanc, ſed illam quæ inflammationi inſidet, quęrit iterum eam ne etiam crudam, vel poſtea quàm fuerit cocta voluerit Hippo. eſſe vacuandam, non me hercle dum cruda eſt. ipſe enim & vna Gal. reclamant apertiſsime. tum primo aphor. aphor. 22. tum. 4. lib. de victu acut. morborum. ubi, aut à principio dum mouetur eſſe purgandum, vel poſtremo quando fuerit cocta prædicant. Longe etiam minus cum cocta eſt. quia ſputo, & ſcreatu excernitur, non autem purgantibus medicamentis. & præterea cocta materia dolor mitior redditur & ſponte deliteſcit. ſi quidem hoc primo de victu acutorũ morborum teſtantur Hippo. & Gal. dolorem, ſcilicet ſponte miteſcere cum expuere incipiunt pleuritici. Hipp. vero vt dolor ſedetur venam ſecat aut aluum cit. Sed & ex ſerie verborum Hippoc. ſi quis ſtudium adhibere voluerit,

rit,facile comprehendere poterit voluiſſe Hippo.fluentem materiam detrahi dum præcipit aut venam ſecandam aut purgandum. nam ſi fomenta non iuuent ab illis abſtineri iubet,ſtatimq; venam ſecari aut aluum cieri. fomenta autem non proſunt quãdo materia adhuc fluit. Nec minus etiam ex commentario Gal.quo exponit dictum illud Hippocr. 4. de victus ratione in acutis morbis medicamentum quarto die miniſtrabis, hoc idem liquere poteſt:inquit enim Gale.quarto vero die indiſtincte pronunciauit. neque enim inter morbi initia aliquid remediorũ iniungere oportet deſumpto à numero dierum Scopo. Sed quod Hippo.recenſuit eſt exequendum, vel ſtatim ab initio priuſq̃ in partem aliquam cõfirmentur ſucci,vel poſteaq̃ fuerint ad maturitatem perducti. quam ob cauſam & prima interdum die, & ſecunda, & quarta,& interdum quinta medicamenta dedimus: & reliqua. Cum igitur ſæpe dolore fomentis non miteſcente, ipſa prima die vel aluus cienda ſit cum dolor deſcendit, vel ſi aſcendat,interna vena cubiti lateris affecti ſecanda,ſtatim à principio dum fluit materia ea vena ſecanda eſt,His etiam fauent quæ à Galen. dicuntur in commentariis aphoriſmorum commentario trigeſimo primo ſeptimi libri cum quinque remediorum genera, quibus uoluit Hippocra. dolores oculorum ſanari, inuicem conferens, ait tutiſsimum eſſe fomentum, quòd vel omnino ſanet, cum ſcilicet nihil præterea fluit, vel ſaltem hac parte proſit,quòd in cauſa ſit, cur cognoſcamus quo corpus ſe habeat modo. quia ſi id plenum fuerit,& adhuc materia fluat, videtur quidem primo occurſu prodeſſe, ſed paulopoſt dolorem adauget. ecce ergo cum fomenta obeſſe videntur, fluit materia. A ſimili etiã deprompto argumento idipſum probare nititur, ſumpta occaſione. ex ſententia Gale. quæ habetur. 6.aphor. in commentario. aphor.22. ubi ait Hippoc. Quæcunq; ru

pta

pta ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio ſoluit. ibi Gal. Melius quidem ſcribunt quicunque dolores &c. »
ubi dolores dorſi ex defluente humore factos voluit curari ſectione venę brachii, cum dolor aſcenderit. Pari ergo paſſu defluente materia, ſecat venam in coſtali morbo ex eodem latere. Poſtremo vero hac etiam ratione ſuum dogma conatur aſtruere. quia ſi vena ex eodem latere non eſt ſecanda niſi cum materia non fluit amplius, id erit ſero ad modum agẽdum, vt aliquando vltra diem vigeſimum. fluxus enim quãdoq; vltra vigeſimum perdurat diem. vt ſi quis hiſtoriam pueri illius recitatam à Gale. in libello Therapeutico de ſectione venæ legerit, facilè iudicabit. Hoc idem poteſt etiam ex eo oſtendi, quod docet Galen. 2. lib. de differentiis febrium, vbi docet in laterali morbo fieri acceſsiones quales in febribus tertianis. nam acceſsiones non fiunt, niſi ex nouo materiæ defluxu. At vero Hippocra. fomentis dolorem non leuantibus ſtatim venam ſecat, aut medicamẽto purgat. His itaq; omnibus conficere credit, theorema Hippocraticum intelligendum eſſe vt ſtatim à principio, fluente etiam materia, vena in eodem latere ſecanda ſit. Deinde iterum eundem citat Hippoc. in. 6. libro Epidemiorum 6. etiam commentariorum Gal. in eundem. credit enim inde ſe aliquid depromturum, quo ſua hæc ſecta comprobari poſsit. textu igitur quinto inquit Hippo. Dolorum cauſa proximum vẽtrem purgare, & ſanguinis ventrẽ incidere, vſtio, ſectio, calefactio, infrigidatio, et ſternutamentum & reliqua. qua parte conſpicuè docet Hippocrat. ad dolores remouendos, eſſe venam ſecandam proximam dolenti particulæ. venam dico quæ magna ſit: per ventrem enim ſanguinis expoſuit Galen. venam magnam. quare ſi Hippoc. vt dolorem leuet pleuriticis inter initia, venam ſecat, ſecabit proximam. qualis ea eſt quæ eiuſdem lateris, non quæ in oppoſito. Vnde &

veluti quoddam corrolarium deducit. Hippoc. prius ve na ſecta per proxima deriuare quàm ad longiſsima reuellat. quod eſſe conſonum deinde Hippocraticis decretis ipſiuſmet verbis. 6. Epid. deſcriptis. cōmentariorum autem Gal. in eundem lib. 2. credit ſe poſſe mōſtrare, vbi ſic ait. Deriuare, cedentem reuellere ſtatim, reſiſtentem cedere. quem locum hoc modo Gal. interpretatur. Ad deriuationem conſequens, erat ſubinferre, reuellere, & poſtea docere, quomodo q̨s optime facere poſſet reuulſionem. Hippo. vero prætermiſit dicere reuellere & ſtatim peruenit ad illud quod eſt cognitu vtiliſsimum bene volentibus retrahere humores male irruentes ad aliquod membrum. non enim ſemper oportet inſiſtere in auxiliis reuulſiuis, ſed interponere aliquod tempus vacuum eorum quæ retrahunt vt humorem iam firmatum, qui ad patientem particulam peruenit, ſecerni permittamus, nam in ipſa permanens & reliqua. Poſtq̄ autem ſatis credidit eſſe probatum hoc fuiſſe Hippocraticum dogma vniuerſam curandarum phlegmonum, vt ipſe arbitratur, methodum ex Hippoc. doctrina in quatuor partitur concluſiones, iuxta tempora quatuor obſeruanda cum materia in membrum aliquod defluit, & illi moleſtiam ſuo infert defluxu. Primum maxime in illis attēdendum eſt, qui aſſueti quidem ſunt definitis quibuſdam temporibus aliqua parte corporis morbo quopiam arripi, nondum tamen laborare cœperunt. hi enim egent ſanguinis miſsione prȩuiſionis gratia, ſecta vena, non quidem proxima, ſed remota, quæ tamen è directo reſpiciat particulam ſolitam affici. quod ipſe probat authoritate Hippoc, vel Polibi in libro de natura humana. & Gal. tum. ibidem, tū in libello de venæ ſectione. de quibus in ſequentibus copioſus ſermo nobis futurus eſt. Secundum tempus eſt, quando cœpit iam fluere, nondum tamen in aliquo membro decumbere incipit, vt

pote

pote,quia corpus egrediatur, vt fit in ſanguinis fluore, qui per nares effertur,vel per vterum; aut, ſi non egreditur,nullam tamē adhuc particulam occupat,in qua reſidere cœperit: quo tempore reuulſione ea miſſo ſanguine egemus,qua poſsit impetus irruentis ſucci in contrarium conuerti.Proinde fluente ſanguine è naribus venam cubiti,non pedum cedimus: ꝙ hæc non retraheret, niſi admodum eſſet copioſa. Tertium tempus eſt cum in membrum aliquod decumbit & dolorem,vel morbum excitat: quo tempore in vniuerſum, ſiue morbus incipiat,ſiue augeatur,& vtcunq; materia recepta ſit,ſiue ex maiori,ſiue ex minori parte,ſemper ea vena ſecanda eſt; qua poſsit ſimul,& deriuatio fieri,& reuulſio: qualis ea eſt quæ dolenti loco,& laboranti eſt proxima,vt tamen magna ſit; quod credit ipſe eſſe probatum ex verbis Hippoc.Epid.6.& Gal.vbi ait eorum vero,quæ membrum obſederunt,deriuatio medela eſt. Eo enim tempore nullum,vt ipſe arbitratur, locum reuulſio habet,cum medici Scopus ſit,non tantum retrahere, quantum citisſime, & plurimum (Galen. teſte) à loco dolente euacuare. Quartum autem eſt,cum vniuerſa defluxit: quo tempore ſi diuturnus morbus effectus ſit,nec totius adſit plenitudo,ex ipſa laborante particula vel ſcalpellatione vel venæ ſectione vacuamus. Si vero aut diuturnus non ſit, aut corpus ſit plenum,deriuatione agemus, & hæc quo ad Hipp. Ad Gal.deinde accedens non minoribus momentis illum idem ſenſiſſe cōtendit,multis hincinde collectis authoritatibus,à libello Therapeutico de venæ ſectione ſumpto exordio. in eo enim vt ſigillatim venas omnes recenſet quæ ſecari ſolent,ita quibus morbis ſectæ posſint prodeſſe,& quibus minime apertisſime docet, prædicatq; ab ipſa natura edoctos ſemper à venis ſanguinem mittendum curare, quę ex directo locum affectum reſpiciunt, & ex eodem latere. Vnde in affecti-

bus membrorum,quæ ſupra præcordia ſunt ſi venas cubitorum internas incidimus,quas baſilicas iuniores appellant,facile opem ferimus,ſi modo illæ ſecentur,quæ directe partem reſpiciunt laborantem, & vt inquit Hippoc. κατ' ἴξιν. Inferiorum vero partium laboribus venas pedum eodem modo ſectas opitulari, & tandem ſemper proximam venam inter initia cedit. Citat deinde ſecundo loco eundem Gal. 13. lib. methodi medendi. vbi ille cum eorum quæ ſcripta fuerant in libello Therapeu. de venæ ſectione meminiſſet,ac omnia cõfirmaſſet,docuiſſetq; in phlegmone oris,gutturis,iecoris,pulmonis,pectoris, renum, & cæterorum viſcerum, quæ vena incidi deberet,in hunc modum quaſi concludit. Ac perpetuo quidem in omnibus,quæ è directo eſt. Vbi iecur phlegmone inuadit,quæ in dextra ſunt manu,vbi lienem contra. Quo loco Curtius pertinaciter affirmat rectitudinem corporis,quæ ad medici contemplationem attinet, eam eſſe,quæ longitudini debetur. Ex quo deinde infert, ꝙ cum corpus bipartitum ſit in dextrum & ſiniſtrũ,duas etiam eſſe rectitudines,dextram,& ſiniſtram,duasq; longitudines. & ea tãtummodo κατ' ἴξιν aut κατ' ἰϑὺ aut ſecundum rectitudinem eſſe ſita dicuntur ab Hippoc. & Galen. quo loquendi modo ſæpe vtuntur in libello de ſectione venæ ſæpius citato,in medendi methodo, in. 2. ad Glau. in Epidemiis & reliquis, quę in eadem ſunt longitudine vel dextera vel ſiniſtra. Et ꝙ hæc ſint Gal. doctrinæ conſona,probat,ex ipſiuſmet verbis. quinto enim de vſu particularum,dum de muſculis,qui in vẽtre ſunt, ſermonem habet,rectos eos appellat,qui per longitudinem protenduntur. Secundo etiam de tuenda valetudine, frictiones rectas appellat,q̃ ſurſum deorſum,vel cõtra,& tandem per corporis longitudinem ducũtur. Sed & id etiam,quod ait idem Gal. 13. lib. Thera. metho. incipientes phlegmones reuulſu euacuare, ideſt (exponit

illc)

ille) ſimul reuellere,& euacuare.aperte hoc dogma videtur aſtruére. ſola enim vena interior lateris eiuſdem poteſt hoc præſtare,vt Gal docet in commentariis.2.de victu acutorum. ipſa enim à parte affecta & euacuat, & reuellit. quare & citiſsimam illi fert opem. Locus vero vbi credunt hi,qui nouæ huic ſectę addicti ſunt,ſe Achillem latitãtem reperiiſſe,quem quaſi fatalem ad excidiũ veteris conſuetudinis deducant,eſt.13.methodi curatricis: qua parte rationem curandi inflammationem iocinoris in exemplum cæterarum inflammationem internorum viſcerum proponit,& inquit. Proponatur itaque ,,
iecur iam phlegmonem contrahere cœpiſſe. & paulo- ,,
poſt ſubiungit. ergo pariter tum reuellendus,tum edu- ,,
cendus,qui ad iecur fluit ſanguis,interna in dextro cubito ſecta vena. propterea ꝙ eſt ſecundum rectitudinem, & ampla via cum vena,quæ caua dicitur, ſocietatem habet. Ecce inter initia morbi cum fluit materia proximã venam in eodẽ latere ſecat: corpore etiam pleno. Hoc idem perſuadere poteſt & anginæ curandæ exemplum propoſitum. Sed nihilominus.2.lib.Therap. ad Glauc. id ipſum perſpicue docet Gal.qua parte eam indicationem proſequitur,quæ à ſitu partis affectæ depromenda eſt. illa enim eſt,quæ præcipuè demonſtrat per quæ, & quomodo euacuare oporteat. Apertiſsime enim docet in affectibus particularum quę ſupra præcordia ſunt eſſe venas manuum cedendas, pedum vero in his,quæ infra ſunt. vt tamen ſemper ad eas accedamus, quæ è directo locum affectum & ex eodem latere reſpiciunt. Idem etiam in libro de conſtitutione artis medicinalis euidentiſsime affirmat, quo loco rationem curandi docet indicatione accepta à ſitu & plaſmate affectæ particulæ.Vltimo autem eundem citat Gal.3. artis medicinalis. quæ omnia poſterius diligentius examinabimus, ideo ea nũc per capita tantum percurrimus. De Arabum vero opi-

nione in præſentia nihil eſſe opus arbitror verba facere: nam & eos fuiſſe contrarios, aut omnino, aut magna ex parte nouæ huic ſectæ adeo videtur euidens, vt ferè turpe videatur in re tam clara velle tempus cõterere. Tranſeamus igitur ad octo rationes, quibus præter authoritates agit, vt dogma iſtud comprobet. Prima particularis eſt, probat enim à ſimili in coſtali morbo partis dextræ, cum dolor ad præcordia deſcendit, eſſe ſemper ſanguinem mittendum inciſa vena cubiti dextri: quia iecore laborante, venam dextri cubiti tundamus; ſiquidem hoc clariſsime & Gal. & Hipp. profitentur, quicquid Auer. ſenſerit: adeo enim vicinæ ambæ hæ particulæ ſunt, vt nulla poſsit ratio imaginari cur vario modo hic, & ibi ſit agendum. Secunda ſupponit, ꝙ phlegmone gignatur, quomodo Gal. tum in libello de tumoribus præter naturam. & tertio artis medicinalis docet. tum etiam in lib. de intemperię inęquali: vt puta, quia ſanguis primum maiores replet venas, easq; diſtendit, poſtea minores, & tandẽ minimas. quæ dum præ multitudine defluxum ſanguinem continere nequeunt, per ora & meatus in exteriores partes coſtatum excutiũt. quo fit ut intermediis ſpaciis repletis, phlegmone gignatur. Quæ ſi ſe hoc habuerint modo, conſtat incipiente pleuritide ſuccos, ſi nõ omnino, magna ſaltem ex parte, tum ad inflammatum locum, cum ad vicinas & circunſtantes partes, inter initia, inquam, inflammationis lateris defluxiſſe. At omnes fatentur venam in cubito ex eodem latere incidendam cum materia fluxit: igitur inter initia morbi ſtatim illa cedenda eſt. Huic ſi addamus, ꝙ plurimum latet nos, an defluens materia à partibus remotis feratur, vel potius à proximis: & an ſurſum deorſum potius, ꝗ contra ſimiliter an à ſiniſtris dextrorſum, vel à dextris ſiniſtrorſum: an ante retro, vel potius contra, non erit ab hoc propoſito alienum. Proinde qui venam in oppo-

ſito feriunt latere,vt à remotis fluentem materiam reuellant,eam ſibi reuellendam proponũt quam,an fluat, & vnde fluat,ignorant. Quod ſi dixerint ſe hoc poſſe ex dolore cognoſcere,ꝙ ille increſcat,nouerint ipſi colorem non minus poſſe fomentum,ac incrementum habere ex ſanguine à circunſtantibus partibus depulſo, q̃ ex remotis. Tertia ratio ex medici munere, & officio prodit: ſiquidem videntur illius partes eſſe, vt ſemper imitetur naturam recte & ſalubriter agentem in corporibus morbo affectis. Cum aũt ſit ab antiquiſsimis Medicis longo vſu comprobatum,nunquàm ferè,aut criſes, aut euacuationes maxime ſanguinis bene cedere, niſi quæ ex partibus prorumpunt,quę ex eodem latere ſecundum rectum reſpiciunt locum affectum. Hoc enim teſtantur Hippoc.& Galen.tum locis ſuperius citatis,tum in 6.Epidemiorum, quare & medicus ipſe dum arte ſanguinem ducit,idem obſeruare debet. Quarta huiuſcemodi videtur eſſe ſectio venę in eodem latere ab affecto loco amplius euacuat,& ab eodem vel æque,vel etiam magis reuellit, quàm ſectio venæ oppoſitæ, quare illa huic omnino pręferenda eſt. Quòd quidem amplius euacuet,fatentur omnes,ꝙ autem ęqualiter reuellat,probat ex Gal.4.de tuenda valetudine libro,vbi de laſsitudine vlceroſa,& quaſi phlegmonoſa habet ſermonem, ait enim,ꝙ ſicut ea fit ſanguine propulſo à venis maioribus ad minores,& ex his ad minimas,donec in vacuitates prolabatur,ita ſecta vena retrocedit,& in contrarium retrahitur. Sed & ex exemplo fluuiorum oſtendit: quod ne æquo longiores ſimus, dimittemus in præſentiarum. Quinta,ſi materia è dextra capitis parte propulſa,& per cauam venam delata in latus dextrum,pleuritim gignat,commodè retrahetur ſi per eandem viam id fiat, per eandem autem ſanguinem,qui à ſuperioribus inferius detruditur in latus dextrum,retrahit facilius venæ

nā ſecta in dextro latere,non in ſiniſtro; quamobrem il la ſemper erit præferenda. Hoc etiam confirmat, quòd rariſsime fiāt pleuritides ex propulſo ſanguine à dextris ad ſiniſtra vel contra. Impulſus enim is fieri nequit niſi per cauam venam,cuius vires ſunt lōge maiores, ꝗ venarum minorum,vnde facilius poteſt ſanguinem in illas repellere,quàm ab illis recipere. Sexta id nititur improbare,cui ferè videtur vniuerſa aduerſariorum vis inniti; quod ſcilicet materia fluens,quæ reuellenda eſt, à remotis ſit reuellenda,ipſe vero monſtrare conatur non ſemper medici ſcopum eſſe à remotis defluentem materiam reuellere,quia ſi ponamus ſanguinem in ſummo verticis capite,dextra tamen illius parte comprehenſum,in ſiniſtram depelli,& ſi hoc rariſsime eueniat. ſi vena ſecanda eſſet,à præſtantiſsimis medicis vtputa Gal. Hipp. Raſi, humeralis ſiniſtra ſecaretur: ꝙ tamen nunꝗ agendum eſſet ſi ſemper defluens materia eſſet reuellenda ad contrariam partem: nam ad dextrum potius eſſet retrahenda,ꝗ ſiniſtrum. Proinde conſtat ſatis eſſe ſi à circunſtantibus partibus reuellatur,vel potius deriuetur. Septima ratio aphoriſticæ illi ſententiæ innititur, quam citat etiam Gal.2.lib.de vict.acuto.morb.commentario.10. quæ ducere oportet ait Hippo.eo ducere, quo maxime natura vergit,per loca conferentia. ſi ergo ſanguis detrahendus eſt,per eam maxime partem detrahendus, in quam ipſe vergit, dolore ergo aſcendente verſus brachium dextrum,cum eo ſanguis detrahēdus vergat, per dextrum detrahendus eſt, nō per ſiniſtrum. Octaua ex Auicennæ authoritate deprompta eſt,in qua pręcipit eſſe ſedandum dolorem anteꝗ in contrarium reuellatur. pleuritide primo experimur, ſi fomentis dolor ſedari poſsit,illis vero non conferentibus, aut pharmaco, aut ſecta vena ſedari volunt Hippoc.& Galen.non ſedatur autem à vena oppoſita, ſi ſecetur, quia illa ad diuerſum trahit

trahit, quod non eſt agendum, niſi ſedetur dolor prius.

NOs autem, quibus in hoc commentariolo hoc tantum propoſitum ſtatim à principio fuerat, vt omnibus recte perpenſis, & examinatis, eam concluſionem pro viribus eliciamus, quæ maxime eſſet rationi, ſentētiisq́; probatiſsimorum authorum, præcipue Gal. ac Hippo. conſona, omiſsis multis, quæ à iunioribus antiquæ conſuetudini conſentientibus ſunt literis mandata: magna enim ex parte dum explicauimus opinionem, & rationes Curtij, & Briſſoti eorum fundamenta, & reſponſiones ſunt recitatæ, rem ipſam aggrediemur, vt interdum tamen faciem, vt aiunt fricemus. Si enim liberè & ingenuè ſenſum eū proferre voluerimus, quem ex his omnibus collegimus, quæ ſunt nobis, vel audiendo, vel legendo, vel cogitando oblata, neceſſe erit, & contra eos viros dicere, qui his tēporibus ſummū ſibi medicorum nomen ſummamq́; authoritatem vendicauerunt: vt enim varia ſunt hominum omnibus ferè in rebus iudicia. ita etiam eorum variæ ſunt opiniones. Dabimus igitur operam nos, vt cū rationibus agemus, his vtamur, quæ ex propriis, & intimis medicinæ principiis deducuntur: his enim maxime hærendum vbiq; Gal. & Ariſto. prædicant; Cum vero authoritatibus, Gal. præcipue & Hippo. teſtes citabimus. Itaq; cum omnes, qui medicinam rationalem profitentur, hoc vnum tanquam præcipuum decretum habeant, omnem inueniendorum, & adminiſtrandorum remediorum rationē ab ipſis indicationibus depromendam eſſe, quæ ex qualitate, & natura earum rerum oriuntur, quæ in ipſo, vel circa ipſum morboſum corpus, conſiſtentes, ſeſe medico curaturo offerunt conſiderandæ, ille tātummodo rectè ſtatuere poterit, quibus maxime auxiliis opportunū ſit inflammationibus cum viſcerum omnium, tum pectoris occurrere, qui particulatim rectè nouerit diſcernere ea omnia,

quæ

quæ poſſunt in corporibus male affectis quidpiam indicare, omniumq; indicationum vires ſigillatim primo, & ſeorſum, mox inuicem conferendo perpendere. eumq; in ordinem digerere, quem vel neceſsitas, vel rerum ipſarum natura poſcere videtur. Quare huiuſce quæſtionis diſſolutionem ab hoc ipſo tanquam fonte (meo quidem iudicio) deriuare opus eſt. Dicimus igitur, ꝙ cum prima in omni morbo indicatio illa ſit, quæ ab ipſa morbi eſſentia vel natura prodit. ea enim cæteris communior eſt, & in quem aliæ omnes veluti Scopum diriguntur vt 13. libro methodi curandi morbos ſcripſit Gale. nobis potiſsimum de pleuritide acturis illud primum conſtituendum eſt, vt quid ſit pleuritis intelligamus: ex ipſius enim definitione, cætera omnia ordine quodã deduci facile poterunt. Eſt ergo pleuritis phlegmone, vel inflammatio internæ membranæ, quæ coſtas contegit, illis adnata eſt. Et quia phlegmone quæcunq;, vt idem Gal. eodem libro refert, gignitur ex decubitu in aliquã corporis particulam, ſanguinis copioſioris, quàm illi ſit opus, iccirco, ſi contraria contrariis curari oporteat, prima in phlegmone indicatio eſt euacuationis, cum morbus is ſit ex plenitudine factus, cæteræq; oẽs in eo indicationes, quæ, aut quid, aut vnde, aut quando, aut quantum, aut quomodo euacuandum ſit præmõſtrant, in eam feruntur eamq; veluti finem proprium reſpiciunt. Hæc vero omnia maxime locum habent, cũ præſens eſt morbus, ꝙ ſi futurus ſit, aut aliquid imminere videatur, quod morbi futuri periculũ minetur, idq; velit medicus prohibere, alia indicandi ratio inſurgit: neq; enim vlla adhuc loci repletio eſt, ipſas functiones lædens, à qua ſumenda ſit indicatio; Sed illud tantum ne locus repleatur, eo tempore procurat medicus, ab his præſertim ſumpta indicatione, quæ cauſas omnes, & occaſiones remoueant; quibus ſucci ad debiliores partes moueantur, &

pro-

propellantur. Vt aũt hęc indicationum ratio tutrici medicinæ methodo propria eſt; ita illam curatrix ſibi propriam aſciuit. Verum vtraq; ſimul quandoq; cõiungitur & inuicem permiſcetur: vt puta inter initia morbi, cum ſit adhuc, nec omnino, vel maxima ex parte factus eſt: tunc enim (vt Gal. in Therapeuticis docet) aliquid factũ eſt, aliquid vero futurum eſt. quo morbus cõtinue eſt augendus. Vnde etiam indicationes ſunt commixtæ, quæ ſcilicet à facto morbo exoriuntur, & plenitudinem laborantis particulæ eſſe euacuandam indicant: & quæ reſiſtendum admonẽt remotis cauſis, ne quid amplius fluat, quod particulam quampiam repleat, & morbum inducat. Quæ cum ita ſe habeant, non tamen ſemper vtriuſq; eſt æqualis, & eadem cõditio. imo plurimum quandoque diuerſa. quò enim propinquior eſt principio, eo vim maiorem habent indicationes, quas deſeruire magis pręſeruatrici, (ut iuniores aiunt) parti diximus: quo vero magis ad morbi vigorem accedit, eo languéſcit magis harum indicationum vis, & inualeſcit vis earum, quæ ad curatricem partem attinent. Et vt melius id, quod cõcipimus, exponamus, dicamus phlegmonem, quæ eſt reumaticus, hõc eſt, defluxorius morbus, hoc modo ideo appellatus, quia gignatur ex defluxu ſanguinis, vel ſucci alterius à parte quapiam propulſi ad aliam partem, neceſſe eſt fieri, tum ob propellẽtem partem, tum ob recipientem, hoc eſt, aliquid in cauſa eſſe, cur & illa propellat, & hæc recipiat. Cauſa vero, cur illa propellat, duplex eſt; primum robur excretoriæ facultatis, & expultricis, cuius munus eſt id excernere, & expellere, quod vtile membro non eſt: & deinde præſentia cuiuſpiam rei moleſtæ, qua facultas illa irritatur, & excitatur. Moleſta vero eſt duplici de cauſa, quia vel multitudine grauis eſt, vel quapiam mala qualitate affecta: In cauſa vero cur hæc recipiat, imbecillitas eſt facultatis: quæ non poteſt repellere,

re,quod à particulis fortioribus propellitur. Sed eſt aliquando in recipiente particula, non ſolum imbecillitas virium in cauſa, verum quiſpiam etiam malus affectus,qui attrahit ſanguinem ad locum morbidum:vtputa calida intẽperies: aut dolor. Itaq; hę ſunt cauſæ generationis phlegmones quarũ vis in indicando pollet antea q̃ fiat,vel dum fit. Cum vero facta eſt phlegmone,et materia omnino influxit, & recepta eſt,vnica tũc cauſa eſt eius,vnde inſurgit ea indicatio,quæ cõmunis eſt omnibus morbis ex plenitudine factis, eſſe.ſ.euacuandum. Hæ ſunt igitur res illæ,à quibus propriores indicationes exurgunt,& communiores in morbis ferè omnibus,qui fiunt,qui fient,& qui facti ſunt: quæ tamen non ſimul & in eadem morbi parte,aut ſaltem nõ æqualiter, ut diximus,vim habent. Si enim medico ſeſe offerat quiſpiam, quem nullus adhuc morbus inuaſerit,ſed timeat,nę inuadat,cum aliqua indicia iam appareant oſtendentia adeſſe quidpiam quod facile,niſi caueatur, eſſe poſsit in cauſa,cur morbus aggeneretur,aut fortaſsis ſolitus ſit ille, eo morbo alias ſæpius laborare, tunc à parte, quæ, ne à morbo occupetur, ſuſpicio eſt, nulla inſurgit indicatio, niſi ea fortaſsis,quæ indicat robur eſſe addẽdum illi parti,vt ſe poſsit tueri: ſed hoc quidem nihil in præſentia ad nos attinet,qui eas indicationes inquirimus, quæ rationem euacuandi per venam ſectam demonſtrant: ſed vniuerſa indicatio eo tempore ab eo loco prodit in quo inſidere cognoſcimus cauſas illas,quæ irritantes,excretoriam vim cogunt ad expulſionem, vnde morbus ipſe mox originẽ habet. quæ,vt diximus,ſunt ſuccorum,aut multitudo,aut mala qualitas: & hæ ſunt quæ euacuandum eſſe indicant. Locum vero,vnde ſit euacuandum, pars ea indicat,in qua collecti reſident ſucci euacuandi, vtputa aut corpus vniuerſum, ſi per vniuerſum corpus diffuſa ſit repletio,aut pars quæpiam,vel partes plures

vnde

vnde ſanguinis plenitudo, ſi iuſto maior eſt quopiam in loco, ſanguinem mittẽdum indicat. vnde vero, & è qua vena, ea indicat particula in qua eſt ipſa plenitudo: quia, quo propinquior eſt vena, & directius locum plenum reſpicit, eo facilior, & melior, commodiorq; fit euacuatio loci affecti, vt tradidit Galen. in libro de palpitatione, tremore, & ſpaſmo. & in libello de conſtitutione artis medicinalis. Vt tamen id non prætereamus, quòd etſi hæc vſquequaque, & in vniuerſum ſint vera; non tamen ſemper particulatim eadem ratione ſunt pertractanda. quia vt à Gal. expoſitum eſt, tum alibi ſæpe, tum maximè 13. libro methodi Therapeutices, & in commentariolo de ratione curandi per venę ſectionem, cum ſanguis mittendus eſt, aut alia ratione corpus euacuandum ob morbum futurum, qui ſiue aliqua ex parte iam cœperit, ſiue omnino futurus ſit, duo nobis ſunt animaduertenda. ſicut duplex eſſe poteſt differẽtia futurorum morborum: nam quandoq; morbum timemus alicui certæ, & definitæ particulæ. puta pleuritim quæ coſtis propria eſt, aut podagram, quæ pedibus, vel chiragram, quæ manibus, vel phrenitim quę capiti, quia vel iam cauſa morbũ factura in eam partẽ cęperit vergere, ſicuti in primis mor borũ initiis: vel quia ſępius alias fuerit ille, cui mittẽdus ẽ ſanguis, ſolitus ab eo arripi morbo. Qnq; vero morbus quem timemus, cõis eſt, & indifferens, vt articularis, qui vagatur per artus oẽs, & febris. Cum morbus cõis eſt, ſolum illi attẽdendum eſt, quod maxime plenũ eſt; toto quidẽ ſi totum plenũ ſit, partibus vero ſit partes: vt. ſ. id euacuetur, quod euacuari expedit, & per eam partẽ, qua facilior, & commodior fiat euacuatio, vt ſi mittẽdus ſan guis ſit, ex ea vena mittatur, quæ proxima ſit, & recte reſpiciens locum plenum, ſi ea commode ſeſe offerat, quando vero morbus eſt particularis definiti cuiuſpiam membri, tũc partita ita ſit medici animaduerſio, vt alte-

tum oculum dirigat ad partem plenam, quæ impellit, vel facile impellere poteſt, alterũ vero ad illam quæ iã cœpit ſuſcipere impulſum ſuccum, aut ſaltem quam timemus ne recipiat: ita ſcilicet, vt etiam, euacuando, cauſas auferat, quæ poſſunt irritare vim excretoriam partis repletæ, & validioris, præterea ne ſucci, ſi qui ex euacuatione moueantur, qui educi omnino nequeant vi illius euacuationis. (raro enim adeo exquiſita ſtatim à principio fit euacuatio, vt quicquid mouetur id totum educatur.) ne ſucci igitur exagitati, & à validioribus particulis propulſi, in eam ferantur, cui timemus; quod maxime cauebimus, ſi motus qui fit euacuando, per partẽ fiat, quæ procul ſit, & contraria illi cui timemus. Itaque hoc ipſo caſu, ſi ſanguis mittendus ſit, ex ea vena mittendus eſt, vbi duæ ſint coniunctæ rationes, quæ duabus ſatisfaciant indicationibus, & illi, quæ ab impellente particula vel impulſura exoritur, quæ indicat multitudinem eſſe euacuandam, quæ impellendi cauſa eſt: & illi, quę à ſuſcipiente, vel ſuſceptura ſummitur, quæ indicat alio eſſe conuertendum impetum ſanguinis, ſi ille mouendus ſit, & hæc reuulſionis indicatio eſt: quæ quantum ex Gal. 4. & 5. de medendi methodo, & 2. lib. commentariorum in ſextum Epidemiorum, & in commentariolo de reuulſione potui colligere, duabus definitur conditionibus, vt ſcilicet procul trahatur ſuccus ab ea parte, cui timemus, vel quę laborare cœpit, & in contrarium q̃ ferretur, conuertat. Vnde etiam græcè ἀντίσπασις appellatur, quaſi tractio in contrariam partem, & ideo quemadmodum duplex eſt contrarietatis, & diſtantiæ modus, ita etiam duplex poteſt eſſe reuulſionis ratio, ſi Gal. etiam ſequamur. nam & inter extrema eſt contrarietas, & diſtantia, & ea quidem maxima, & inter media etiam; verum differunt, ꝙ extrema veræ contraria ſunt, & abſolute contraria, vel vt Peripathetici dicere conſueuerunt, ſimpliciter

citer

citer contraria, & diſtantia. Sed media contraria ſunt reſpectu aliquo, & ſecundum aliquam comparationem, & vt iidem Peripathetici aiunt, ſecundum quid. Pari etiam paſſu de reuulſione dixerim, quædam reuulſio eſt, quę abſolutę, & ſimpliciter reuulſio appellari poteſt, ſeu vniuerſalis, quæ terminos reſpicit contrarios & remotos: quæ etiam vndecunq;, profluat ſanguis, procul & in contrarium conuenit, vt fit, teſte Gal. in libello de venę ſectione, in vertiginoſis, & qui morbo comitiali tenentur, in quibus ſanguine ẻ tibiis miſſo reuulſio adminiſtratur. A quauis enim parte ad caput ſanguis feratur, ſeu alius ſuccus, reuellitur, & detrahitur ſectis venis tibiarum. Alia vero reuulſio particularis, quæ etiam ſecundum quid à Peripatheticis appellaretur, quæ qualdā tantummodo partes reſpicit, & hæc à Gal. localis reuulſio, vel locale remedium appellatur: quæ ſcilicet vnius tantummodo loci comparatione habet, vt poſsit reuulſio appellari. hæc enim, vt docet Palladius græcus author, & Ioannes quem Alexandrinum commẽtatorem recentiores appellant, in commentariis ſecundæ ſectionis ſexti libri Epidemiorum, reſpicit varias, & contrarias differentias particularum eiuſdem membri in corpore, vtputa occipitis, & ſincipitis, in capite, non autem extremas differẽtias corporis vniuerſi, et ideo ſicut Gal. huiuſcemodi reuulſionem, vel euacuationem localẽ vocat, ita ille particularem, quemadmodum aliam vniuerſalem. Quæ quidem reuulſiones ſicut rationes habẽt varias, ita etiam variis adminiſtrandæ ſunt morborum diſpoſitionibus, & variis temporibus, cum enim totum plenum eſt, aut plures partes: cum etiam magnus eſt impetus, & vis moti ſanguinis, & principiũ morbi adeſt, neceſſaria eſt reuulſio, quæ ſimpliciter reuulſio eſt, & non localis, vel particularis: ea enim, quæ particularis eſt, cum plenitudo eſt totius, vel partium plurium; & ſi ali-

qua

qua ratione poſsit reuulſio appellari, abſolute tamẽ ma gis attrahit ad locum affectum,q̃ ab eo reuellat: & potius deriuationis q̃ reuulſionis nomen meretur; vtputa dolente occipite,ſi vena frontis ſecetur (ait Hippo.) remedio eſt,cuius cauſam reddit Gal. quia vim habet reuellendi & euacuandi,verum reuulſio illa, vt idem Gal. ait. 2.lib. commentariorum in ſextum Epidem. localis eſt, quæ minime idonea eſt principiis morbi, quia cum corpus plenum fuerit,quod in partibus infernis continebitur, ea ſecta vena,in caput potius trahetur,q̃ reuellatur,& ideo conſulit prius eſſe venam cubiti ſecandam, quia vniuerſalior eſt ea euacuatio,vt Palladius etiã affirmat,& cum deinde nihil aliunde emergit,quod peculiarem quampiam indicationem prætendat,ſolaq; ſit ratio capitis quidpiam indicans,vena in fronte ſecta mire confert: vnde etiam in libello de ſectione venę hoc idem ſe rè confirmat. vbi ait,quod etſi euacuationes hæ ſint, & incipientibus,& vigentibus morbis cõmodè,tamen ſemper non ſunt moliendæ, ſed tantum vbi corpus vniuerſum fuerit effectum iam vacuũ. Et vt tandem hoc,quod de reuulſione erat nobis dicendum,concludamus,id etiam addendum iudico, ꝙ etſi reuulſio fieri poſsit per omnes contrarietates, in illis ſitus differentiis poſitas, quarum meminit Gale. in libello de reuulſione, ſurſum ſcilicet deorſum,dextrum ſiniſtrum, ante & retro, intus extra; ſecundum tamen eás tantum reuulſio fieri poteſt, quę ſimpliciter reuulſio appellari meretur; & quæ morborum principiis eſt idonea,cum corpus fuerit plenum, vel partes plures,quæ ſurſum,& deorſum,vel dextrum, & ſiniſtrum reſpiciunt: id quod facilè eſt probatu: inter enim ante,& retro Gal ipſe prædicat loco citato reuulſionem localem eſſe,cui in principio ſtatim raro datur locus: cum tamen inter occiput,& ſinciput in homine maximum ferè interuallum ſit,quod eſſe poſsit inter

eas

eas duas,vel extremas differentias, ante, ſcilicet, & retro: pari etiam paſſu,quãuis morbus ſit interius in corporis profundo,nemo fuerit,qui vel leuiter ſit imbutus medendi diſciplina, qui inter initia, cum corpus fuerit plenum,audeat ea remedia adminiſtrare, quæ exterius ſanguinem, aliosúe ſuccos attrahat, vtputa cucurbitulam,vel quippiam ſimile. Vt omnia igitur in vnam rationem ex longo hoc ſermonis circuitu colligamus, dicamus. Inter initia pleuritidis cum corpus vniuerſum plenum fuerit, vel partes aliquæ, à quibus depellatur ſanguis ad locum morbidum,ſi euacuationis aliqua indicatio:vtputa mittendi ſanguinis,alicunde petenda eſt, ea vniuerſa à toto,vel à mandante particula petẽda eſt, ab ea vero, in quam pellitur,& morbo cœpit arripi.vel paulopoſt eſt arripienda, ſi qua indicatio à principio ſtatim petenda eſt,ea non eſt euacuationis indicatio,ſed reuulſionis: & ideo ſi mittendus ſanguis inter prima morbi initia, ex ea vena mittendus eſt, ex qua facile inaniantur partes impellentes: facilè etiam reuellatur,& procul à male affecta, & recipiente particula conuertatur impetus impulſi ſanguinis. Ergo oportet, vt ea vena ſit duobus priuilegiis dotata,vt ſcilicet proxima ſit,et directe reſpiciat partem impellentem,procul vero à parte recipiente, imo in parte illi oppoſita,vt tamen recte illam etiam reſpiciat. Vnde coſtali morbo ſi dolor aſcendat,vena quæ eſt in cubito eiuſdem lateris, cum non ſit proxima mandanti particulæ, ſed potius recipienti, & laboranti,nec ſit contraria,ſed potius affinis, magis idonea eſt ad euacuandum partem affectam, & recipientẽ, quam propellentem,& demandantẽ. ideoq; & Gal. ait eam ob id eſſe ſecandam,quia inde plurimum, & citiſsime euacuatur phlegmonoſa particula. ergo ea non eſt, quã inter prima morbi initia, cum aliũde cauſa pellitur, ad phlegmonoſam particulam ſecari oporteat. Sed cum

id,quod factum eſt in morbo,& vicinas,& proxime circunſtātes partes occupauit. Ratio hæc meo iudicio efficax eſt,ſi ea vera ſint, quæ longiori ſermone expoſuimus,ſicut veriſsima ſunt,& omnia deprompta ex libris Hippoc. & Gal. Vt autem rem ita ſe habere oſtēdamus. agendum nunc eſt verbis,& authoritatibus Hippocr. & Galen. quibus eos hoc idem ſenſiſſe monſtremus, quod nos ratione probauimus. vt tamen id moneamus prius, ꝙ cum rationes huiuſmodi indicationum,quas expoſuimus,quæ.ſ. vel à totius plenitudine,vel à partibus impellentibus,& ab imbecillitate recipientis particulæ, & ab impetu defluentis ſanguinis ſummuntur,& cæteræ, quæ eundem cum his ordinem ſeruant,non modo morbo coſtali,ſed cuicunque ferè phlegmonæ; immo dixerim cuilibet defluxorio morbo,quem Gręci reumaticum appellant,communes ſint,non ideo explodendi ſumus,tanquā vel minus vera,vel ea ſaltem,quę extra propoſitum ſint, afferrentes. Et ſi enim de pleuritide particulatim ſermo nobis habendus eſt, ea tamen theoremata perſequi neceſſarium iudico,quę à talibus indicationibus pendent: quæq; ex authorum libris vniuerſalioribus communioribusq; ſunt deprompta ſententiis. Qua in re (vt mihi quidem videtur) non parum ab officio docti, & ingenui viri Briſſotus defecit, qui,vt vim quarundam rationum effugeret ex authoritatibus Hippoc. & Galen. depromptarum,magis eſſe attendendum ait Hippoc. & Galen. quando de pleuritide ſermonem habentes pręcipiunt,venam ſecādam in cubito eiuſdem lateris,quia ſermo is particularis eſt,quam alibi,vbi communiores ſermones proferunt. Hisq; Ariſt. verba quædam prætendit afferentis, vniuerſales quidem ſermones magis eſſe apparentes,ſed particulariores magis veros, quaſi vniuerſalia theoremata minus vera ſint,vel cum particularibus pugnantia,& omnia ſibi inuicem non conſentiant, neque

neque in vnum,& eundem finem tendant,& ſcientiarum
artiumq́; omnium ordo,ac vnio ex connexione, & con-
ſenſu vniuerſalium rationum cũ particularibus non pen
deat: cum tamen Gal. quem ſibi veluti oraculum ē fin-
xit,in commentariis in ſecundo de victu acutorum mor
borum apertiſsimè dicat conſtitutionem cuiuſcunq; ar-
tis,& eiuſdẽ iudicium conſiſtere in dearticulatione com
munium,per propria. Verum tamen illud iam quod fue
rat propoſitum, aggrediamur, & ab Hippoc. tanquàm „
primo omnium authore exordiamur itaq; Hippocra. 6. „
Epidemiorum,& commentariorum Gal. in eundem li- „
bro,2. hæc literis mandarunt. Quæ diſsimilia ſunt, ait „
ille,ſi ſurſum delata repant,deorſum ſoluere oportet; & „
contraria etiam hæc: ſicut capitis,purgatio,venę ſectio. „
Hæc autem exponens Gal. ſic ait. Succi parrticulis diſ- „
ſimiles in vniuerſum; ſi ſurſum efferãtur, deorſum opus „
eſt ſoluere: quod ſi deorſum repant, ſurſum ſunt reuellen- „
di. Sed diſsimiles appellari intelligamus eos, qui in- „
congrui ſunt,& inepti locis illis,in quibus ſunt,vt illi ſer „
mo hac parte ſit de prima affectus generatione, qui iu- „
beat ſtatim ad loca contraria reuellere; deorſum quidẽ „
vbi in ſuperioribus gignantur; ſed ſurſum,vbi deorſum. „
Vt eadem ratione vſi,feramus auxilium: & ad differen „
tes locos ducamus. Igitur ſi perſenſerimus fluẽtem ſan „
guinem,aut ſuccos alios in crura,vel pedes,decumbere, „
è cubito ſecta vena ſanguinem detrahemus, aut vomitu „
purgabimus,vt illis neque ſit aſſentiendum,qui opinan- „
tur nunq̃ eſſe ad ſuperiora reuellendum, quamuis etiam „
ſucci,qui ad inferiores partes delabuntur,minẽtur,alio- „
quin magnum aliquem morbum illis inferre. Sed,& id, „
quod ait,ſi ſurſum delata,facilè intelligi poteſt de ſuc- „
cis,qui inclinationem habent,vt ferãtur ſurſum: vt de- „
lata ſurſum ſit dictum pro priori quapiam ſignificatio- „
ne: attamen vtrobiq; eadem ſententia permanet. Nam „

opus eſt, vt ſucci, qui in ſublime ferũtur, deorſum reuel
lantur, ſiquidem motus eorum expediens nõ fuerit: con-
tra vero, ſi in contrarium ferantur. Vt in capitis affectu
purgationem eligimus, & per pharmacum quod aluum
ciat, & ſecta vena in cubito: vtraq; enim & euacuant, &
deorſum reuellunt. Nec minus etiam conſentaneum eſt
ipſum contraria dixiſſe ſecundum hunc intellectum: af-
fectus, qui ſurſum feruntur, vel generationem habent,
expoſcunt; vt ſtatim, deorſum reuellendo, occurramus:
& deinde vt, quę his cõtraria ſunt, agamus. hoc vero ni-
hil aliud eſt, niſi localiter euacuare, quẽadmodum in ca-
pite; ſi quidem capitis pars poſterior doleat, vena recta
in fronte ſi ſecetur, remedio eſt: quod tamen remedium
eſt locale. Sed, quia eadem Hippoc. in libro de ſuccis re
petere videtur, ideo eam ſentẽtiam cum hac iungemus:
igitur ſtatim ferè è principio libri hæc ait. Deriuatio ad
latera qua parte vergũt, reuulſio, in his, quę ſurſum deor
ſum; ſurſum vero, in his, quæ deorſum. Ex quibus locis
multa elici poſſunt tum ex Hippoc. tum ex Gale. quę pe
nitus euertunt Briſſoticum, Curtianumq; decretum. Pri
mum, ꝙ prima affectus origo euacuationẽ expoſcit, quæ
ſit vniuerſalis, non autẽ quæ localis, & particularis, quæ
etiam contra impetum impulſorum ſuccorum, & pro-
penſionem renitatur, & in contrarium retrahat, & non
in quam partem illi inclinãt, moueat; hoc enim propria
ratio reuulſionis expoſtulat. Quòd ſi qua euacuatio fit
ſecundum inclinationem ſanguinis, & ſuccorum, quan-
doque reuulſio appelletur, ea improprie accipienda eſt,
& confuſo vocabulo, vt reuulſionis nomine deriuatio
etiam comprehendatur. Deriuatio enim, & ſi omnino
in eandem non attrahit partem, in quam propenſus eſt
ſuccus facturus morbum, tamen in vicinam detrahit, &
ideo poteſt in ea ſeruari inclinatio, & motus ſanguinis,
& aliorum ſuccorum. Vnde cum de deriuatione me-

minere

minere & Hippoc. & Galen. deriuandum aiunt maxime, qua parte ſponte vergunt, vel feruntur. Sed in vera reuulſione, vt nunquam memini quempiam ex antiquioribus medicis præcipiſſe inclinationem eſſe ſeruandam, & motum impulſi ſanguinis: ita eos ſemper legerim conſulentes tunc eſſe veram reuulſionem neceſſariam, cum opus ſit, reniti contra impetum, & delationem impulſi ſanguinis, vel alterius cuiuſpiam ſucci, ad locum aliquem, in quem delatus læſionem inferat. Hoc autem non modo locis nuper citatis palàm prædicant Hippoc. & Galen. Sed multis etiam aliis in locis, & inter alia in » commentariis in primum aphor. commẽtatione aphor. » 20. in fine hæc ait Gal. Medico autem opus eſt, vt motũ » naturæ, & eius propenſionẽ obſeruet: quia, ſi ea ſit com » moda, & rectè ſe habens, iuuanda eſt, atque adeo illi mi- » niſtrandum, cõtra autem, ſi cum diſcrimine aliquo, & da » mno: tunc enim illi occurrendum eſt translatione, et re » uulſione. Sed hoc idem etiam teſtatur Gal. 4. lib. de me » thodo curandi morbos. vbi ait, huiuſcẽ rei determina- » tionem tradidit in libro de ſuccis: præcipit enim ad con » traria reuellere, ad latera vero deriuare, & pręterea, vt » quo tempore màxime prona ſunt, tunc eſſe reuellẽdum: » nam de hoc etiam dictum eſt eo libro, & nunc dicetur, » ꝙ cum vehementer fertur defluxus, tunc per contraria » reuellemus. Ex quibus deinde nos id iudicamus, ſatis apertè fieri poſſe, vt cum ſecundo de victu morborum acutorum Hippoc. & Gal. aſcendente dolore conſulant venam ſecandam cubiti eiuſdem lateris, quia in eam partẽ vergere videtur cauſa phlegmonæ, ea ſectio reuulſionis nomine donetur, impropriè tamẽ, & lata quadam ſignificatione reuulſionis. Hæc. n. propria, & iuſta ſignificatione accepta, peculiare ac neceſſariũ remedium eſt principiis morborum reumaticorum, cum vehemens eſt impetus defluentis ſucci: propriè vero potius eſt deriuatio

appellanda, quàm reuulſio: per ſectam autẽ venam, quę in oppoſito cubito eſt, vel crure eiuſdem lateris, vera erit reuulſio, illa enim per longitudinem cõtraria eſt, hæc vero per latitudinem. Et huic concluſioni credimus Hippocr. & Gal. conſentire. Secundo loco nõ erit alienum à noſtro propoſito, ſi eam authoritatem adduxerimus, quam cæteri etiam nihilominus afferunt, decerptam ex lib. 2. de natura humana, cuiuſcunq; modo authoris fuerit is liber, & multa etiam damnauerit Gale. ex his, quæ ibi inſcripta ſunt: in hunc igitur modum ſcripſit ille. Oportet autem operam dare, vt quàm longiſsime ab his locis ſectiones fiant, in quibus dolores fieri conſueuere, vbi perſpicue is author profitetur reuulſionẽ eſſe, quàm longiſsimè ab affecto loco faciendam. Hanc difficultatem varii vario modo nituntur euitare, alii enim nituntur perſuadere illi non eſſe fidem adhibendam, qui teſte Gal. in aliis multis eodem in libro aberrauerit. Alii vero dicũt, nihil habere hanc authoritatem, quod poſsit nobis deſeruire: id enim, quod hic dictum eſt (vt Gale. exponit) illis pertinet qui ſani ſunt, ſed parati, vt in aliquẽ illabantur morbum, nobis vero in præſenti ſermo eſt de his, quæ iam morbo teneri cœperunt. Sed huiuſcemodi reſponſiones non mihi videntur eſſe rationi admodum conſonæ: & ſi enim quædam Gale in eo libro variis de cauſis digna eſſe reprehenſione iudicauit, hoc tamen ea tantum ratione reprehendit, quia nõ explicatum ſit pręceptum, ne hoc ſit in ſanis ſeruandum, aut potius in ęgrotis. Vnde ipſe ait, ſuo quidem iudicio, in ſanis illud eſſe exponendum, qui proni ſunt, vt in morbum incurrant facili de cauſa, vt ſit præceptum ad partẽ potius tutricem ſanitatis attinẽs, quàm ad curatricem methodum. Quare non eſt ſpernendum theorema hoc, eo tamen modo intelligendum in diſciplina Galenica. Quod etiam à noſtro propoſito non ſit alienum, niſi velimus plus,
quàm

quàm par ſit, eſſe proterui, facilè probauerimus, cum ratione, tum etiam ipſius Galen.authoritate. Nam indicationes quæ ſumuntur à particula impellente,& quæ à toto, & cæteræ ferè omnes, vel ſaltim plures, quæ in prima morbi origine vigent,à membris,&particulis ſanis depromuntur: quæ vero ab affecto loco, prodeunt, vel influxo ſanguine, & tandem quæ à facto morbo, a parte morboſa prodeunt. Et ideo nulli mirũ videri deinde debet,ſi illę priores pertractandæ ſint, & regendæ regulis attinẽtibus ad ſalubrem medicinæ partem. Imo hoc idem ſatis perſpicuè videtur Gale. affirmare,qui in lib. 13 de methodo curandi morbos,vbi eas indicationes perſequitur,quæ à toto prodeunt,cum ob plenitudinem totum aliquid indicat,ait,earum tractationem fuiſſe comprehenſam in libro de valetudine tuenda,vbi de præuiſione ſeu(vt iuniores aiunt) de præſeruatione actũ eſt: & monet etiam,ea eſſe inde in hunc locum transferenda. Sed velim præterea,vt hi mihi reſpondeant,cur, ſi reuulſio,quę procul fit ab affecto loco,eam vim habet, vt poſsit corpus tueri à futuro morbo, qui videatur imminere,non poſsit illa eadem,ſi inter initia,cum morbus cœpit iam inuadere,obſiſtere ne augeatur; quod pręcipuè in principio quærimus,cum eo tempore omnia ferè ex eiſdem cauſis augeantur ex quibus fiunt: ipſiq; Hipp. & Gal.in.6.Epidemiorum lib.& in commentariolo de venæ ſectione affirment,ea,quæ,cum morbus incœpit, ſi fiant,remedium afferunt,ſi antequàm cœperit, adminiſtrentur,prohibere ne fiat. Vt ita dicamus,ſi qua ſint,quę vim habeant ante inceptum morbum prohibere,ne fiat, cur illa eadem,cum iam cœperit,non poſſunt eſſe remedio,quominus ſaltem creſcat. Sed hęc omnia fingamus, ꝙ nullius in hac re ſint momenti,nonne ſaltem hærendum eſt rationi? quam reddit Gal. cur iudicauerit præceptum id locum habere in ſanis? ea enim de cauſa vo-
 luit

luit ille procul eſſe ſecandam venam à loco, qui ſit alias ſolitus laborare, vt aſſueſcant ſucci in alias partes ferri. Sed, ſi res ita ſe habet, & eam vim habet venę ſectio, quę procul fit à loco, cui timemus, vt reuellat, & conuertat ſanguinem alio, q̃ ipſe pronus ſit, & ab ea parte, in quam ipſe ſolitus ſit deferri, & nihil aliud quærimus in prima morbi órigine, cum ſanguis defluit morbum effecturus, niſi vt illum inde reuellamus, & alio conuertamus, cur non ſit vena ſecãda procul inter prima morbi initia? cui ſententiæ adeo expreſſe aſſentit Gal. in libello de rõne curandi per ſectam venam, vt mirum ſit, quonam pacto hi, qui ſe magnos profitentur Galenicos, locũ illum non animaduerterint. Sed nos eum iam oſtendamus, vbi ait.
» Quibus in corporibus nulla adhuc pars laborat, & tamẽ
» accedẽte verè volumus aliquam præmittere euacuatio-
» nem, quando fuerit ille aſſuetus æſtiuo tempore à febre
» arripi, cuius fomitem ſubtrahere volumus, tunc quęlibet
» pars idonea eſt, vt inde ſanguis detrahatur: & eodẽ mo
» do ſi quis morbo articulari, & eo paſsim in omnibus ar-
» ticulis ſit ſolitus laborare. Sed cum timemus, ne peculia
» riter in vna quapiam particula tantum laboret, niſi ſan-
» guis mittatur; nequaq̃ in his eodem modo agẽdum eſt:
» non.n expedit vndequaq; euacuare: ſed eadem ratione
» in his agendum eſt, ſicuti in illis, qui iam laborare cœpe
» runt: & hac de cauſa podagricos euacuamus ſecta vena
» in cubito, vertiginoſos vero, & qui morbo comitiali ar-
» ripiuntur in tibiis. Ecce quã lucide Gal. hanc ſententiam aſtruat, & breui quidem ſermone, ea ratione (inquit) ſunt pertractandi illi, qui vel natura, vel quopiã alio acciden te, morbo cuipiã particulatim ſunt obnoxii, anteq̃ arripiãtur ab illo, qua eſſent pertractãdi, cũ cępiſſent iam laborare. ſ. vt reuulſionibus inſiſtamus (& qualibus ét exponit multis exẽplis) illis, quæ, fieri ſolent, procul, & in cõtraria parte. Videre nonnulli laqueũ hunc prętẽſum,
& qua-

& quadam huius loci acuta expoſitione excogitata, putarunt ſe illum poſſe declinare. Eos inquiunt, qui nōdum laborant, eo modo eſſe vacuandos docet Galen. quo hi qui iam cœperunt laborare; nempe vt nō indiſcriminatim illis ex qualibet parte ſanguis detrahatur, ſed ex ea, quæ è directo, & κατ' ἴξιν reſpicit imbecillā, aut iam affectam particulam. Non erit me hercle ab hoc negotio alienum ſi in pręſentia locum ex academicis. M.T. quęſtionibus depromptū noſtro huic propoſito accommodauerimus. Sed neſcio (inquit ille) quomodo pleriq; errare malunt, eamq; ſententiā, quam adamarunt pugnaciſsimè defendere, q̃ ſine pertinacia quid conſtantiſsimè dicatur exquirere. Si rationem ſequaris, ſi verba diligenter examines, ſi verborum ſeriem, ſi exēpla à Gal. propoſita, luce clarius intelliges omnia huiuſcemodi explodere interpretationem. Nā hi, qui iam laborare cęperunt, & illi, qui expoſiti ſunt morbi, nondum tamen cęperunt ab illis arripi, aliqua cōia habent, in quibus cōueniunt, et aliqua peculiaria, in quibus differunt; cōis vtriſq; eſt, primum ſuccorum vel in toto corpore redundantia, vel ſaltē in partibus aliquibus, quorum ſtimulis quandoq; excitata expulſoria facultas aſſurgit, vt illos excutiat & alio propellat. Secundū, partis illius imbecillitas, quæ vel cępit iā, vel alias ſolita eſt laborare: hæc vero in cauſa eſt cur propulſi in eam decumbant, cum eas nō habeat vires vt obſiſtere, & repellere poſsit. Sed hęc habent peculiaria, quibus inuicem diſsident: quoniam in illis ſucci paratiſsimi ſunt, vt moueantur: immo, ni præuiderint, paulo poſt mouebuntur: in his non modo parati ſunt, ſed mouentur iam. Præterea in illis particula imbecillis eſt, & in promptu, vt recipiat, in his, prompta, parataq; eſt, & cœpit iam recipere: vnde vtriq; quaſdam habent indicationes pares & omnino ferè ſimiles, quaſdam vero differentes. Indicatur enim vtrobiq; euacuandum eſſe, vt

occa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

occaſiones reſecetur fluxionis, & quòd ea fiat euacuatio, qua aliorſum ſucci, quàm verſus imbecillam particulam detrahantur; & ea propter per contrarias partes; & in hac ratione pares ſunt, diſpares vero ea parte, ꝙ in his, qui laborant aliquid facti adeſt, quod propriam & ipſum indicationem ſortitum eſt, quo carent, qui nondũ ægrotant. Ad id ergo, quod in vtriſq; pariter conſpicitur, aſpexit Gal. cum ait, eodem modo hos eſſe euacuandos, quo illi. Sed & paulo poſt modum illum innuit, quo ſunt vtriq; euacuandi, dum ait. His omnibus inſtante verè ſecanda eſt vena: quos ſi quampiam habuerint imbecillam particulam, in quam collecta deferebatur multitudo, reuulſione expedit euacuare. ſi vero nulla ſit talis, vndecunq; magis gratum fuerit, poteris euacuare. Hæc Gal. quibus ſi ea etiam addideris, quæ ille. 4. metho. Therapeu. lib. ſcripſit, vbi de reumatico vlcere agit, ibi enim ex Hippoc. libro de ſuccis authoritate, qua docet tunc in primis reuellẽdum eſſe, cum ſuccus maxime pronus eſt, hanc quaſi concluſionem elicit. Quare nos etiam in præſenti morbo, ſi vehementer reuma feratur, per contraria reuellemus, vtputa ſi loca ſuperiora vlcus tenuerit, per inferiorem ventrem purgabimus, per ſuperiorem vero, ſi inferiora: & paucis deinde interpoſitis, eadem hæc venæ ſectioni accommodat. Atque ſi eiſdem ea iunxerimus, quæ idem. 13. metho. Therapeu. literis mandauit. Oportet (inquit) vt in his, qui fluxione vexari incipiunt, quàm remotiſsimè reuellantur, quæ ſuperfluunt. Et iterum, non multopoſt, inter initia phlegmonæ reuulſionẽ, quàm longiſsimè facito, & alia quoq; quã plurima, quæ his conſentientia ſcripſit Gale. ſi omnia contuleris cum Hippoc. aut Polybi à nobis nunc citata authoritate, agnoſces facillimè, & lucidè, quis modus ſit ille, quo tum qui iam laborare incipiunt, tum qui nondum cœpere, ſunt euacuandi, reuulſoriæ, ſcilicet, hoc eſt procul, & per

contrarias partes laboranti,vel imbecillæ particulæ, & hæc eſt genuina loci huiuſce expoſitio,à quo illi toto(vt aiunt) cœlo aberrant,qui modum illum ad rectitudinē referunt,ſeu,vt Hippo.ait,τὸ κατ' ἴξιν partis,in qua vena eſt incidenda,cuius non modo non meminit, ſed ne ſomniauit quidem,quod tum ſeries Gale. tum exempla apertè oſtendunt. Cum enim medici conſideratio, aut ad pręſentes morbos vertatur,aut futuros,& pręſentes, aut nuper inchoantes, aut qui iam veteraſcunt, primis (ait ille)occurrimus ἀντισπαστικῶς κενοῦντες, reuulſorie euacuantes,ſecūdis,ab ipſamet affecta particula, aut ab alia illi proxima. illis vero,qui nullo adhuc morbo ſunt impliciti, ſibi tamen timent, quia alias ſoliti ſint arripi morbo quopiam,ſi morbus,quem timent omnes in vniuerſum corporis partes ſoleat affligere,vndecunque euacuaueris recte feceris: ſi vni parti peculiaris ſit,reuulſorie agendum,ſicut ſi cœpiſſet iam inuadere hominem. Quamobrem infert Gal.podagricis è cubito ſanguinem detrahimus,epilepticis vero, & vertiginoſis, è tibiis. Sed quæſo,quænam poteſt eſſe particula,aut quæ vena, quę è directo & κατ' ἴξιν ſit laborantis particulæ in morbo comitiali,aut in vertigine,vel affectu melancholico, ſimilibusq; capitis morbis: ſunt enim totius capitis affectus hi,in primis autem ventriculorum cerebri,vt tertio de locis affectis ſcripſit Gale. qui cum Palladio ſecundo in ſextum Epidemiorū libro eo loco,vbi Hippo.in quęſtionem reuocat,vtrum omnes apoſtaſes,quæ ſalubriter fiunt, κατ' ἴξιν fiant,in multis,ait,non modo arduum,verum & impoſſibile eſt hoc agnoſcere; vt in melancholicis,cum mariſcis innatis à morbo liberi euadunt. Sed & qui ſunt podagris obnoxii,vel nunquàm,vel raro ad modum non vtroq; pede laborant,vel ſimul,vel alternatim ſaltem. Quare aliunde illis petenda eſt fuga. Tertio etiam mihi videtur non parum huic propoſito fa

cere

cere locus deſcriptus ex libro de victu ſalubri, quẽ Gale.
refert in authorem Polybum Hippo. legitimum diſcipu
lum: qui dicit hyeme expedire, vt vomitu corpus expur
gemus, eo ꝙ pituita eo tẽpore plurima gignatur, & ma-
xime morbi circa caput fiãt, & locus is ſupra præcordia
fit: & clyſteribus vtamur, cum calor viget; quia tempus
illud æſtuoſum eſt, & corpus bilioſum, & grauitates fiũt
in lumbis, genibus, & tormina in ventre. Quare oportet
„ corpus, ſi quæ ſurſum ferantur, deorſum purgare. Gale.
„ autem in expoſitione hæc ait. Conſulit ergo, vt hyeme,
„ quando tunc pituita plurima gignatur in ventre, per vo
„ mitus purgetur, æſtate autẽ bilem, quæ ſupernatet, deor
„ ſum detrahatur: attamen, ſi vniuerſum corpus purgarẽ
„ volueris, contra æſtate tibi per ſuperiora erit purgandũ;
„ hyeme vero deorſum per aluum; vt in aphoriſmis do-
„ cuit. quæ enim iam exuberauerint purgatio ſanat, quæ
„ fiat per loca, in quæ vergit ſuccus. ducenda enim ſunt,
„ qua parte maximè prona quæ duci oportet, ſi per loca fe
„ runtur, per quæ ferri expediat: ſed ea, quibus obſiſtere
„ volueris, ne exuberent, per loca contraria ſunt reuellẽ
da. Sed, ſi his Gale. verbis addideris, ſcopum medici in
principiis reumaticorum morborum eſſe, obſiſtere, ne im
petus delatæ materiæ augeat cauſam morbi in membro
male affecto, & exuberantem iam in impellente & de-
mandante, euacuare, facile deinde intelliges eam eua-
cuationem recte eo tempore fieri, per partes quæ con-
trariæ ſint membro laboranti; vicinæ vero, & affines
membris impellentibus, quia facillima, & optima, eſt
euacuatio per partes proximas, & communes, vt docet
Gal. in libro de conſtitutione artis medicinæ. Quarto
etiam locum ex Hippoc. afferemus depromptum, & ex
Galeno, libro de fracturis ſecundo, vbi de calcaneo a-
gens, ita ait Hippoc. Sed melius etiam fuerit veratrum
propinare, aut die eadem, aut poſtridie, & tertia die ſol
uere,

uere deinde ligare. Quem locum exponens Galen. ſic »
ait, Non modo, vt excrementa euacuet, veratrum tradit, »
verum reuulſionis etiam gratia: nam ſatis conſtat, ꝙ al- »
bum tradi velit: cuius vis eſt ciendi vomitum. etenim »
prius in ſuperiorem ventrem ex corpore vniuerſo attra- »
hit, quàm ipſum in inteſtinorũ inuolutiones deferatur. »
Patet vero quod album velit ex his, quæ paulo poſt ſub- »
dit, dum ait. & ſiquidem febris nulla adderit, oportet »
per ſuperiora purgare. Quippe eorum, qui ſe eo habent »
modo, excrementa euacuare, vt tamen ſucci ad partes »
reuellantur, quæ locis affectis contrariæ ſunt, confert mi »
rum in modum. Reſtat præterea, vt etiam his authori
tatibus agamus, quę decerptę ſunt ex libris Gal in qui-
bus non amplius expoſitoris fungitur munere, ſed quaſi
liber ſuam profert ſententiam: expoſitoris enim partes
ſunt, ipſomet teſte, vt ſenſum authoris, quem ſuſcipit ex-
ponendum, quàm lucidius explicet, qualeſcunque ſint
ſententiæ illius. Cum autem de illis diſſerendum eſt,
verę ne ſint, an falſæ, alio ad id opere dicato, agendum
eſt. Et, quoniam communis ratio pleuritidis eſt, vt in-
flammatio ſit, vel (vt græci appellant) phlegmonæ, ideo
illum citabimus his maxime in locis, vbi cõmunes phleg
mones indicationes perſequitur. Itaque. 13. lib. de me
thodo curandi morbos, in hunc modum ſcripſit. Nunc »
autem ad ſermonem de phlegmone reuertamur, & di- »
camus, quod earum omnium communis ſcopus eſt, eua- »
cuatio. Sed cum fiunt adhuc, ante euacuationem co- »
hibendus eſt ſanguis, ne defluat ad inflammatum lo- »
cum: quod rectè fieri poterit, ſi defluxionis cauſas fue- »
rimus nacti, quæ duplices ſunt: aliæ enim ex ipſa mor- »
boſa particula exoriuntur, aliæ vero ex quapiam alia, »
vel ex aliis pluribus; ex ipſa quidem, quia vel calidior »
ſit, quàm ſit par, vel etiam doleat: nõ ex ipſa verò, quo- »
niam aliunde, quæ exuberant, immittuntur: ita vt quan- »

doque etiam ex totius diſpoſitione proueniat. Ecce ergo palàm aſſerit indicationes, quæ vel à toto prodeunt, vel à mandãte particula, eſſe priores, quam illæ, quæ locum ipſum affectum reſpiciunt, quæq; indicant plurimum, & celerrime eſſe à laborante particula euacuandum, & ideo prius ratio earum, quæ à toto, & implente membro oriuntur, habenda eſt, quàm earum, quæ à laborante membro. Quòd ſi legeris, & conſideraueris, quę paulopoſt ſequuntur, comprehendes, indicationes eas, quæ prodeunt, vel à toto, vel ab immittente particula, eſſe euacuationis indicationes: nam & varias docet euacuationis formulas, ſecundum variam rationem plenitudinis: ſi enim ſit ea plenitudo ſanguinis, quam plethoram Græci appellant; eam eſſe ſoluendam docet ingeniis variis, vtputa, ſecta vena, lotionibus pluribus multo exercitio, frictionibus, & ſimilibus, & præterea inedia: multitudinem vero vitioſi ſucci, purgatione, & tandem docet adeo apertè, vt non parum ſit admirandum, quomodo non animaduertant oculati iſti Galenici omnes iſtas euacuationis & reuulſionis formulas, quo tempore inflammatio ſit adhuc, vtputa in principio morbi, eſſe faciendas, q̃ longisſimè fieri poteſt à membro ægrotante, & in contraria parte, quia ratio reuulſionis id expoſtulet. quæ eſt commune pręceptum in omnibus iſtis. Et non modo hæc omnia ſimplici ſermone exponit Gal. ſed variis etiam exemplis aperit. Facta autem reuulſione conſulit deinde euacuationem affecti loci ſuccedere debere, Briſſotus tamen huiuſcemodi laqueum calidè admodum effugere nixus eſt, cum dicat Gal. hoc loco rationem habere reuulſionum, & euacuationum, quæ vel purgante medicamento, vel frictione, vel motu, & exercitio, aut quopiam alio organo iſtis ſimili, non autem ſecta vena fiunt Horum enim non eſt vna, et eadem ratio, cum ea omnia aliquid habeant, quo poteſt irritari locus

affectus

affectus & dolens, motu enim illum agitare, vel calface re, vel quidpiam aliud noxium poſſunt inducere: quamobrem procul ab affecto loco ſunt adminiſtranda Venę autem ſectio, cum ab his omnibus ſit immunis, parti vicinæ tutò poteſt accõmodari. Sed multipliciter hic mihi videtur aberrare, & à veritate, & à doctrina Galenica. Primũ quidem, quia ſi hoc haberet reuulſio ratione inſtrumentorum, quibus fieri ſolet, ꝙ procul fiat, non autem ex propria reuulſionis natura, & conditione, cũ illis eiſdem etiam ingeniis fiat, non poſſet deriuatio fieri per vicinas partes, quod abſurdum manifeſtum eſt, quare ex propria reuulſionis, qua reuulſio eſt, ratione prodit, vt procul fiat. Quod etiam Galeni doctrinam hęc non ſapiant, poteſt illius verbis pluribus in locis probari. Primo hoc eodem loco nuper citato de his, quæ recitauimus ſummatim agens, & ſe quaſi excuſans, ait ple nius aliis locis eſſe pertractatum, & in parte ea, vbi de tu tela ſanitatis actum eſt, quo loco de præſeruatione ſermonem fecit, & in libro de plenitudine, & præterea in li bello de vena ſecanda: quibus verbis poteſt facili con iectura deprehendi in eundem ordinem à Gale. reponi, quantum ſpectat ad hoc, ſectionem venę cũ aliis inſtrumentis, quibus reuulſiones fieri ſoleant, nec multò poſt eodem loco ait Gal. in omnibus talibus cõmune ſit præ ceptum reuulſionis, quale vero ſit præceptum illud ipſemet exponit; cum ait, ad longiſsima ſemper facies reuulſionem, ſed apertius etiam. 5. methodi medendi hoc idem videtur explicare, qua parte de reuulſione, & deriuatione agens, earum differentiam ac rationem explicat, quod deriuatur quidem ad propinqua loca, reuellitur ad contraria, &. 4. etiam eiuſdem methodi non modo hoc idem aſſerit, ſed poſtea, quàm multa de aliis reuulſionibus dixit, tandem ad illa eadem refert venæ ſectionem; ex quibus omnibus patet eſſe Galen. dogma,

non

non ex inſtrumentis,ex quibus fit reuulſio, fieri,vt procul ſit reuellendum,ſed ex ipſa reuulſionis natura. Nec minus etiam hoc idem explicat lib.2.commentariorum in ſextum Epidemiorum. vbi in hanc ferè ſentētiam loquutus eſt. Deriuationem quidem Hipp. ſolitus eſt ap-
" pellare,cum ſuccus quiſpiam,quē euacuare ſit opus,pro-
" penſus non eſt,vt per ea loca,per quæ expediat, feratur.
" tamen non admodum longius,quàm opus ſit; neque in
" contrariiſsima loca feratur,vtputa ſi veſica, vel renibus
" laborantibus, per vrinam delabatur, præſtabit eo caſu,
" vt potius per aluum expurgetur, & eodem pacto ſi per
" aluum feratur,cum inteſtina ægrotauerint,contra agen
" dum eſt,vt per vrinam ſuccus,qui euacuandus eſt, ſece-
" dat,in mulieribus etiam quandoq; fluxum, qui per vte-
" rum fit ad aluum,vel vrinam deriuamus, ſicuti etiā è di-
" uerſo agimus quandoq;. Quod ſi in quapiam harum e-
" uacuationum,vomitum cierimus,hoc ipſum reuulſionē
" appellamus,quemadmodum etiam, ſi vomitum retrahe
" re voluerimus,ad vterum,vel aluum,vel veſicam prouocauerimus. E quo loco aperte colligas, reuulſionem à propria ratione,qua reuulſio eſt, habere,vt per loca remota fiat,& contraria, non ratione eorum modorum, vel inſtrumentorum,quibus fit. Si enim,vt pauloante diximus,à modo,vel inſtrumento,quibus fit euacuatio, haberet,vt procul,& in contraria parte eſſet facienda, cum eadem euacuatio eodem modo,& inſtrumento facta,in diuerſis tamen partibus,nunc reuulſionis,nūc deriuationis rationem ſubeat non minus deriuatio, quàm reuulſio exigeret loca remota,et contraria,quod tamen Hippo. & Gal.aduerſatur. Sed,ſi huic loco accommodentur ea,quæ ex Gal.ſuperius citauimus,vbi exponens verba Hippoc.dicentis in.6.Epidemiorum lib.ſi ſurſum delata repant,deorſum ſoluere. & contraria hęc,ait delata dixiſſe,quaſi propēſa intellexerit,vt ſit ei ſermo de

prima

prima morbi generatione, qui iubeat ſtatim in contraria loca reuellere, deorſum quidē, ſi in ſuperioribus gignan- » tur; ſurſum, ſi in inferioribus: vt eadem quidem ratione » vſi, ad differentes tamen locos ducamus, vnde ſi perſen- » ſerimus influxum ad pedes, vel tibias declinare, ſangui- » nē mittemus è venis in cubito, vel vomitu purgabimus. » facilè erit iudicatu, vere eſſe reuulſiuas euacuationes, » qualeſcunq; ſint, illas, quæ procul trahant, & in contrarium, & eas eſſe, quæ principiis morborum conueniunt, dum, ſcilicet fiunt, & fluit materia, eas vero, quæ iuxta propenſionem impulſæ materię fiunt, quamuis reuulſiones quandoque appellentur, id impropriè fieri, propriè vero deriuationes: quæ potius fluxa materia, & facto morbo conueniant. & præterea, ꝙ omnium euacuationum, quatenus reuulſiones ſunt, vna & eadem eſt communis ratio, ſeu ſecta vena fiant, ſeu cucurbitulis, ſeu medicamentis, vel quouis alio ingenio, & ea eſt vt procul, & in contrarium reuellant. Vnde ſecundo loco aberraſſe videtur Briſſotus, quòd vniuerſale Theorema de reuulſionum forma, & modo, fecit particulare, eam rationem inſecutus, quę & falſa eſt, vt monſtrauimus, & à decretis Gale. & Hippoc. aliena, qui in eodem ordine eas reponunt euacuationes, quas eſſe plurimum diſsidentes credidit ipſe; vtputa vomitum, & ſectionem venarū cubiti: necnon purgationem per aluum, & ſectionem venarum pedum. Sunt & alia loca plurima, in quibus Gal. in eandem ſententiam locutus eſt, quæ, quia, dum rationes Briſſoti, & Curtii perpendemus: erant repetendæ, ideo in id tempus reſeruabuntur.

Diſſolutio rōnis Briſſoti.

NOn erit admodum difficile diſſoluere Briſſoticam rationem, ſi meminiſſe voluerimus eorum, quæ de ratione indicationum ſunt à nobis ſuperius pertractata. Vnde primum pronunciatum ita concedimus, vt etiam veriſsimum eſt, ſed ſecundum deinde,

ꝙ vena in cubito in eodem latere, ſi inter initia ſecetur, quamuis plenum ſit corpus,& ſanguis aliunde ad locum dolentem defluat,qui inflammationis in cauſa ſit, citiſſime,& tutò,& commodiſsime remedium afferat,negamus. Sed,cũ ipſe probat; quia citiſsimè,& maximè per eam ſanguis ex inflammato loco euacuatur; is eſt enim primus ſcopus in curatione phlegmonarum; vt ait Gal. & præterea reuellit ſanguinem,qui eo defluit,verſus eã partem,vnde defluxerat,& per eandem viam. Dicimus, ꝙ euacuatio ſanguinis ab inflammato loco, primus eſt ſcopus phlegmonarum,& ratio curationis earum, cum phlegmone facta eſt: vel cum nulla alia alterius rei indicatio in contrarium trahat Medici ſentẽtiam,vt ſi adſit corporis plenitudo; nam tunc,ipſo met Gal.teſte, nõ eſt primus ille ſcopus; ſed & tunc,& cum adhuc fit,vtputa in primis principiis: earum omnium primus,& cõmunis,ſcopus eſt,prohibere,ne defluat ſanguis ad dolentem locum: quia defluxus cauſa,& occaſio,eſt omnium ferè phlegmonarum. in.2.enim lib.ad Glauc. ait Gale.
» Vna igitur eſt occaſio apparentium phlegmonarum om
» nium,quæ non admodum latet,niſi cũ prouenerint pro-
» pter manifeſtam aliquam cauſam,quæ fluxus,vel,vt Grę
» ci aiũt,reuma appellatur. Prohibemus vero,ne defluat, non ex miſſo ſanguine à vena,quæ ſit proxima,& in eodem latere; potius enim vim habet id euacuare,quod eſt defluxum; ſed ſi cauſas abſtulerimus,cur defluat.hoc.n. ait Galen.13.methodi curandi loco citato paulo ſuperius,vbi etiam docet,quæ nam ſint huiuſcemodi cauſæ; ait enim de inflammationibus tractans,earum omnium
» communis ſcopus eſt euacuatio,ſed cum fiunt adhuc,an-
» te euacuationem cohibendus eſt ſanguis, ne defluat ad
» inflammatum locum,quod facilè poterit fieri, ſi deflu-
» xionis cauſas nacti fuerimus; quæ duplices ſunt. aliæ
» enim ex morboſa particula oriuntur,alię ex quapiã alia,

vel

vel ex aliis pluribus, ex ipſa quidem, quia vel calidior „
fit, q̃ ſit par, vel etiam doleat; non ex ipſa vero, quoniã „
aliunde immittantur, quæ exuberãt, vt etiam ex totius di „
ſpoſitione naſcatur: & paulopoſt ſubiungit; Hæc om- „
nia prius bene diſcute, & in his, quæ adhuc fiunt, remo- „
ue cauſas, in illis vero, quę factę ſunt, ipſas ſolas euacua. „
quo autem modo cura totius habẽda ſit, cum male ſe ha- „
buerit, dictum eſt prius, breuiter tamen & in libello de „
plenitudine; ſed etiam per capita aliqua nunc dicemus. „
Si ergo primæ cauſæ inflammationis ſedem habeant, cũ in toto, tum in demandantibus particulis, quæ primum anteq̃ locum dolentem euacuemus, ſunt remouendæ, à toto, & demandantibus particulis, petenda eſt ratio euacuationis, non à dolente loco: ab illo enim potius reuulſionis, q̃ euacuationis ratio petẽda eſt. Vnde cum locum euacuationis monſtrat membrum ipſum, quod euacuandum eſt; in principio potius quærenda vena, quæ ſit in parte eadem cum demandante, & illam directè reſpiciat, cuius etiam ſi quis ſit reſpectus ad doloroſam partẽ, talis ſit, vt procul, & directè quidem, & ex parte quapiã contraria illã reſpiciat: ea enim rationę impetus irruentis ſanguinis ab illa parte alio auertetur, vt monſtrauimus. Ad id ẽt quod ex Gal. profert in commentariis in librum de victu acutorum morborum, ꝙ in acutis morbis illud maximè quærimus, vt plurimum, & celerrime ſanguinem euacuemus, ab inflammata parte, Dicimus verũ illud eſſe, cum plurimus cucurrit in eum locum, vel in vicinas, & circunſtãtes partes: ratio enim remediorum à ratione indicationum naſcitur: tunc ergo maxime, & plurimum euacuare quærendum eſt, cum maxima eſt repletio: ſed maxima repletio eſt, cum omnino, aut maxima ex parte fluxit: in principio vero, nequaq̃: tũc enim vis repletionis eſt in particulis impellentibus, non in recipiẽte, nec aliud ibi voluiſſe Gal. illis verbis credimus:

vt,cum locum illum tractabimus, oſtendemus. Sed & hoc etiam huic loco addamus, ꝙ ſi vena ſecta, quæ in cubito ſit eiuſdem lateris, vim aliquam habeat reuellendi: eam vim habet, vt poſsit ſanguinem, qui in loco affecto contentus eſt, & in vicinioribus particulis, reuellere, & alio deducere, vel euacuare, & hoc ſenſu dixit Gale. vim habere euacuandi, & reuellendi: ſed à partibus aliis, & à toto etiam, adeo nullā vim reuellendi habet, vt potius ea, quę in illis contenta ſunt & ad dolentem locū propelli poſſunt ad illum attrahant, & conuertant. Quandoquidem locus, quiſquis ille ſit, vnde ſanguis euacuatur, inanis & vacuus redditur, moxq; ſi quid in aliis partibus exuberet, in illum conuertitur, & attrahitur. Neq;.n. alia de cauſa ſecta vena prope talum ciētur menſes, niſi quia ſanguis ad vterum conuertitur: & ipſe etiam Briſſotus affirmat, ꝙ eiuſdem venę ſectio molem ſanguinis vniuerſam trahit deorſum: & cogitur hanc eandem ſentētiam concedere, cum improbat venæ ſectionem, ſi fiat in parte oppoſita: ea ratione, ꝙ probum ſanguinem euacuat, vitiatum vero reliquit, aut attrahit in oppoſitū latus: quo fieri deinde dicit, vt ſæpe pleuritis non curetur, ſed in oppoſitum latus mutetur. Itaq; ea eſt differentia inter venam in latere eodem, & venam in latere oppoſito, ſi ſecentur: ꝙ, quæ eſt in eodem latere, ſanguinem contentum in venis ſuperioribus thoracis verſus cauam venam ea parte, vnde ille ortum habent, retrahit, nec minus tamen eodem ſanguinem, qui in toto corpore eſt, & partibus aliis conuertit, qui, niſi prius totum, vel partes illæ euacuentur, impelli facilè, cum deſinit vis motus facti à ſectione venæ, poteſt in locum dolentem, vtpote qui debilior ſit. Sed quę in oppoſito latere eſt primum quidem euacuat id, quod exuberat in partibus oppoſitis, & illud, quod in latere male affecto eſt, à loco doloroſo retrahit, & in contrarium conuertit, & ea ratione, quāuis non

æque,ac illa,quę in eodem latere,euacuat; tamen etiam affectam particulam: &, ſi quid præterea aliud aliunde propellitur, id omne in partem contrariam conuertit. Cum vero in initiis morborum hoc maxime quæramus, vt aliæ partes, quæ vel impellunt, vel impellere facile poſſunt,quod in eis exuberat,euacuentur; vt ea ratione cauſæ impellendi intercipiantur; &,vt impetus etiam in quempiam alium locum contrarium conuertatur, præſtabit venæ ſectio in cõtraria parte,illi,quæ fit in eadem, & affini loco dolenti. Nec etiam difficilius fuerit reſpondere ad id,quod ait in acutis morbis vim excretoriã eſſe concitatã,& ideo eſſe celerrime loco laboranti ſuccurrẽdum. Dicimus.n.ꝙ ille optime,& celerrime ſuccurret loco laboranti ob concitatam vim excretoriam partium aliarum,qui cauſas remouerit, quæ irritant, & excitant vim excretoriam;vtputa qui plenitudinem,aut prauitatem ſanguinis remouerit à partibus impellentibus, his ſi ſtatim prouideatur, ſedato furóre,& impetu excretorię facultatis,optime ſuccurritur loco dolenti. Eodem etiã pacto reſpondemus rõni,qua nititur reprobare ſectionẽ venæ cubiti in cõtrario latere, quia tardum, & exiguum auxilium poteſt prę ſtare loco inflãmato; cum euacuatio oĩs prius pertingat loca vicina,& validius, ꝗ lõginqua. Reſponderem n.ego,ꝙ auxilium,quod à principio ſtatim,cum morbus fit,inflãmata particula expoſcit,non id eſt,vt cito,& plurimũ ipſa euacuetur,cũ eo tempore nõ ſit multa repletio in ea: quia repletur ex defluxu ſanguinis,aliunde tranſmiſsi,qui non poteſt à principio plurimus fluxiſſe: vnde. 13. Therap. Gal. ait in initio modicũ eſt,quod influxit,& ſæpius tenuius. Sed,vt cauſę remoueantur impulſionis,& trãſmiſsionis,vel alio conuertantur:hoc aũt optimè prę ſtare,& celerrime põt ſectio venarum,quæ ſint in parte quapiã contraria,aut per lõgitudinẽ,vtputa in tibiis, aut per latitudinem,vt in oppoſito

cubito, vt ante oſtendimus. Nec id etiam eſt efficax admodum, quod addit ipſe, q́ ſecta vena contraria detrahitur ſanguis, qui bonus eſt, qui vero corruptus, relinquitur: imo dicimus detrahi ſanguinem malum. Omnis enim ſanguis, qui, niſi detrahatur, põt obeſſe, & morbum gignere, malus eſt: duplex.n.eius eſt malitia, quia vel qualitate mala eſt affectus, vel multitudine proportionem naturę debitam excedit. Cum ergo hac ratione ex parte contraria etiam malus detrahitur ſanguis, tum etiam quia, quamuis nondum mutatus ſit, ſicuti quando iam continetur in inflammatione, attamen alteraretur, & corrumperetur, ſi eo ferretur, quo propẽſus eſt: ideo præripimus occaſionem ne malus efficiatur, & deinde lędat. Et præterea mihi videntur hi, qui, vt ſuam hæreſim ſtatuant, hanc ſanguinis corrupti ſuſpicionem ingerunt, idipſum, quod anus ſolẽt infantibus, facere: quos vt ſibi faciant obtemperantes, formidoloſis quibuſdam deterrent fabellis; quippe cum nunq̃ Gale. hæc incommoda ex relicto ſanguine vitiato, integro vero detracto, quòd ego vnq̃ legerim, timuiſſe uideatur. in phlegmone.n. alæ dextræ ſanguinem è ſiniſtro mittit cubito, & in bubone dextri inguinis venas in pede, aut poplite ſiniſtro ſecat. ſi hæc etiam erant adeo timenda, timuiſſet ille, inflammationi dextri brachii venis ſectis pedum occurrere. Timuiſſet præterea nihilominus in affectibus genu ſanguinem è venis cubiti detrahere in eodem latere, & laborante liene, ex interiori cubiti ſiniſtri vena. potiſſimumq; ſi Briſſoto credẽdum eſt, maiorem in reuulſionibus vim habere vias ampliores, & venas, quàm meatus inconſpicuos. Per iecur namq; verſus cor mouẽdus erit ſanguis, ſi per eàm venam reuellendus, et euacuãdus eſt: quæ tamen membra ſunt primaria, ſitq; neceſſe primum cor, & iecur euacuari, in quibus ſanguis integer ſeruatur, poſtremum autem corruptum lienis ſanguinem.

Quin-

Quinimo erant hæc longè magis in his affectibus, quàm in pleuriticis timẽda, cum non plurimum alterum latus alteri præſtet. in his longè præſtantiores ſunt partes illæ, ad quas attrahitur, q̃ vnde diuellitur. Fatemur quidem pleuritim quandoque ſecta vena in oppoſito latere potuiſſe alterum inuadere latus, verũ id dicimus, ẹ multa corporis, & infernarum partium plenitudine cõtigiſſe: nempe enim non tantum ſuperiorum venarnm apertio euacuare poterat, quantum ex inferioribus attrahebatur ſuperius; quod conſequens motum vi ſectæ venæ factum, in illum tandem latus decumbens alteri phlegmonæ poterat exordia præſtare. Quamobrẽ tutius fortaſſe, cum multa eſt, cum totius, tum ventris inferioris repletio, ſanguis propè maleolum, aut poplitem, quàm in cubito mittitur: quod Venetiis frequentiſsimè multis iã annis fœliciter fieri cõſueuit. Et nos his ipſis diebus cũ duos curaremus pleuriticos, alteri in cubito ex eodem latere ſanguinem miſimus, erat autem is adoleſcens habitus mediocris, cui copioſum etiam ſanguinem, detraximus, & vltra decimam quartam tandem conualuit. Alteri iam ſexagenario, qui verè videbatur plethoricus, propè talum voluimus venam incidi, qui in quarta doloris factus expers ſuę, reſtitutus eſt valetudini. His ergo mihi videtur vis Briſſoticę rationis diſſoluta eſſe. Reliquũ eſt igitur, vt videamus quomodo, & ipſe rationes ſibi obiectas diſſoluat. & cum vniuerſa vis rationis illorũ medicorum huic fundamento videatur innixa, quia inter initia inflammationis reuulſionibus agẽdum eſt, vt alio conuertatur, & euacuetur ſanguis irruens in inflammatum locum; reuulſio procul, & in contrarium retrahit. Briſſotus ſatis calidè, & argutè reſpondet, quæ quidem reſponſio (mea ſententia) plena eſt rimarum. ideo ſigillatim ea nobis perpendenda ſunt, quæ ipſe reſpondendo profert: nam, ſi quod ait, verum eſt, ꝙ in acutis morbis

vis excretoria plurimum eſt concitata, vnde omnium fe rè malorum origo eſt & quo ab aliqua re indicatio fortior exurgit, eo vim maiorem habet, vt Medici animum ad ſe conuertat, iſtud primum eniti debet, vt refrenet impetum, & furorem, expultricis facultatis, remotis ſcilicet cauſis, quibus exagitatur, & excitatur ad expulſionem: ea enim ratione citiſsimè, & optimè erit conſultum loco laboranti, vt paulo ſupra expoſuimus. Cum vero cauſæ illæ in partibus impellentibus contineantur, illis primum attendendum eſt, anteq̃ locus affectus euacuatione attingatur; vt iilæ, ſcilicet euacuentur, & euacuando, fiat reuulſio ab ægrotante particula. hoc vero commodius vena contraria efficit, q̃ proxima & in eodem latere. Quod etiam dicat, id in reuulſionibus aliis, quæ per alia inſtrumenta fiant, ad vnguem ſeruādum, vt in partibus remotis fiant, ob incommoda, quę annexa habent, quibus obeſſe poſſunt, ſi fiant in proximis, non autem in venæ ſectione, hoc oſtendimus rationi aduerſari, & Galenicæ diſciplinæ, qui in inflammatione brachii venam ſecat in tibiis, & in pedum inflammatione, è venis cubiti ſanguinem mittit, & in bubone in crure dextro; ſiniſtram venam ſecat, & contra etiam: verum quiſpiam tergiuerſari poſſet ea ratione, quia iſti nō ſunt acuti morbi, qui tanta egeant celeritate: quid dicēt in muliebri vtero? qui ſi inflammetur, morbus ille non minus acutus eſt, quàm pleuritis, & tamen docet Galen. ſecundo libro ad Glauconem. venas cubiti, ſi inter initia ſecentur, habere vim reuellendi. venas vero tibiarum deinde deriuandi, quo libro cæteros etiam reuellendi modos, quantum ſpectat ad id, de quo loquimur, in eodem ordine ponit cum venæ ſectione. Si enim, ait ipſe, manus calefacies, aut ligabis, aut mammillis cucurbitulas affiges, reuelles: hæc eadem ſi cruribus applicaueris, deriuabis, quæ omnia ſententiam Briſſoticam videntur euertere.

Qua

Qua etiam parte,deſcripto diagrammate quaſi mathematico videtur eludere eorum rationem ex anatomico fundamento, mihi videtur à recta via aberrare, aut potius illam diſsimulare. primo enim, etſi venam oppoſiti cubiti, habita ratione menſus venarum, conceſſerimus nihilo magis remotam eſſe à loco affecto, quàm ſit vena eiuſdem lateris, attamen adhuc conuinci poteſt ſanguinem miſſum è vena oppoſita vim habere propriæ reuulſionis, non autem, è vena in eodem: quia reuulſionis ratio hæc duo comprehendit, vt procul retrahat, & contra quàm ſucci ferrantur, & procliues ſint: vt ex Galen. & Hippocra. oſtendimus, quæ ambo in vena oppoſita tantummodo reperiuntur. ſanguis enim miſſus ex eiuſdem lateris vena trahit iuxta propenſionem ſucci, Galen. met teſte, non in contrarium. miſſus vero ex vena oppoſita, & procul, & contra propenſionem fluentis ſucci. Deinde, vt lubet, dixerit, nunquàm tamen efficiet, quin à latere dextro non magis remotus ſit ſiniſter cubitus, quàm dexter. Neque ea ratio videtur admodum efficax, quæ ex venarum menſu deprompta eſt: quoniam, etſi ad venas reſpicienti videatur æqualis intercapedo, attamen non ſolum per venas ipſas, dum ſanguis mittitur, aut medicamētis corpus purgatur, mouentur ſucci, ſed per membrorum occultos meatus, quantumcunqne illos videatur negaſſe Briſſotus, quos tamen Hippocra. admiſit, cum ait in corpore omnia eſſe σύμπνοα, σύρροια, ϗ συμπάθεα. hoc eſt, omnia eſſe ſpiritibus, & ſuccis peruia, ac ſibiinuicem conſentientia. eos etiam Galen. ſæpiſsimè approbat. nam ſi in attractione ſanguinis, & ſucci ſola venarum ratio eſſet habenda, non video, cur dolore ad præcordia deſcendente, potius præcepiſſet Hippocrat. aluum medicamentis ciendam, quàm venam ſecandam: imo hoc dixerim, quòd Stephanus Græcus author in commentariis in li-

in librum Gale.ad Glauconem,dum quærit,cur vena ſiniſtri cubiti magis confert inflammationi lienis ſi ſecetur, quam iocinoris,cum tamen ſit iecori vicinior & affinior,ait quòd ſecta vena,non modo per venas fit attractio ſanguinis,ſed per meatus etiam illos: & hæc ratio eſt cur dextra dextris,& ſiniſtra ſiniſtris ſibiinuicem magis conſentiant: quod ab Hippocrate videtur depromptum,qui,vt nuper diximus,ait omnia eſſe peruia,ac,deinde ſibiinuicem conſentientia. Clariſsime etiam Gal. in.6.libro commentariorum in ſextum Epidemiorum, ſtatim à principio rem hanc ita eſſe euidentem prędicat, vt vel vulgaribus, & (vt Græci dicunt,) idiotis ſit ipſo ſenſu percepta. Euenit enim ſæpe,vt qui æſtate ſub ardenti ſole iter fecerit,atque inde os, totumq; corpus aridum habeat,& exiccatum,& ſiti valida vexetur,ſi in balneum dulcis aquę demergatur,ſtatim à ſiti liber euadat, & os efferat, pariterq: vniuerſum corpus molle, & humectum,vt multi etiam in ſe ipſis perſentiant humorem attrahi,quod fieri nequit,niſi per incompertos meatus. Sed in his immorari turpe eſt. cum enim hoſce meatus negauerimus,neſcio,qui concedemus nutricationem, & augmentationem fieri poſſe,vel tumores præter naturam,& criſes,quæ per ſudorem fiunt,aut per euacuationem,quæ ſenſus effugit. Tertio his omnibus etiam poſt habitis,nihil tamē inde à Briſſoto haberi credimus:quia ſicuti ille aliam rectitudinis rationem imaginatus eſt, à mathematica; quam ex ſilamentis,vel fibris,cōſtitui voluit,cur etiam partium corporis aliam quādam naturalem diſtantiam, & propinquitatem, præter mathematicam non eſt imaginatus, quæ ex earum conſenſu naturali,& proprietate,vel affinitatem dixeris, cōſiſtit. ſibiinuicē enim particulæ omnes,quæ in dextro latere ſunt, magis conſentiunt,& congruunt,quàm cum ſiniſtris, ita vt curſus,& recurſus,ſit longè facilior inter eas partes,

quæ

quæ in eodem latere ſint,q̃ inter eas,quæ in oppoſitis,vt ex 6.lib.Epidemiorum colligere cuiq; licet, ex Gale. & Hippoc. Quid ergo eſt quod prohibeat nos,hac ipſa ratione affirmare,quamuis æqualis ſit menſura, & diſtantia mathematica,naturali tamen longè maius eſſe interuallum inter locum inflammationis, ſi in dextro latere ſit,& ſiniſtrũ cubitum,q̃ inter illum eũdem,& dextrum? cum ſanguis retractus ad ſiniſtras partes non ita facilè recurrat iterum ad dextras,ſicut ſi ad dextras retraheretur. Vnde qua ratione ille defendit, ſemper reuulſionem eſſe ad remotiſsima factam, quotieſcunq; ſuccus fuerit extra corpus detractus, quia eo ſit deductus,vnde reuerti nequeat,quamuis hoc etiã paulopoſt diſcutiemus,eadem etiã dicimus nos,eo ad remotiora diuelli, quo difficilius,vnde fuerit deductus, poſsit redire. Pari etiam pacto mihi videtur ceſpitare loco,vbi,vt illorum medicorum rationes euitet, concedit reuulſionem eſſe ſemper ad contraria loca faciundam,non tamen propterea fieri,vt neceſſarium ſit ad ea contraria deduci,quæ extrema in eo ſint genere contrariorum,neque enim tantummodo inter extrema,ſed etiam inter media,ſeruatur ratio contrarietatis. Quia ſicut non omne interuallum,& diſtantia, reuulſioni eſt idonea,vt ipſemet teſtatur, ita etiam quilibet termini,quamuis etiam extremi ſint,non ſunt cuicunq; reuulſioni idonei: nam, ſicut paulo ſuperius expoſuimus ex ſentẽtia Gal. anterius,& poſterius, in ſincipite, & occipite, ſunt extremi ferè termini: cum tamen dolet capitis poſterior pars,ſi ſecetur vena frontis,vim habet reuellendi,vt tamen remedium id ſit locale,& non congruum primis initiis morborum. Vnde eadem ratione ſuaderi etiam poteſt,ꝙ, & ſi in pleuritico ſanguis miſſus è vena cubiti in eodem latere reuellendi vim aliquam habeat,inter initia tamẽ, cum vndiq; ſit ſuſpecta,aut totius,aut partium multarum plenitudo,

cumq;

cumq; locale remedium illud ſit,non eſt conueniens; ſed potius quærenda eſt ea reuulſio,quæ ſimpliciter reuulſio ſit,& vniuerſaliter,ad quamcunque partem reſpexeris, vnde posſit ad locum affectum ſanguis impelli. Nec id etiam ſub ſilentio prætereundum cēſeo, quod Briſſotus, eiusq; ſequaces,vt vim verborum Gale.& Hippoc. quibus ſe aſtringi ſentiunt,effugiant,ore rotundo proferūt, ſemper ad remotiſsima reuulſionem fieri,cū noxius ſuccus extra corpus fuerit ductus. Quæ mihi ſanè ludicra videntur,ea enim ratione,omnes euacuationes,erunt veræ,& æquales,& eandem vim habentes reuulſiones,vtpote ad remotiſsima perducentes, neque ad remotiora reuellet ſecta vena humeralis,cū ſinciput doluerit.q̃ vena frontis.Sed & euacuatio,quæ fit per locum affectum ad remotiſsima detrahet, & reuellet,quia extra corpus pellit.vnde in vlcere inteſtinorum medicamenta reuellent ad remotiſsima,quæ aluum ſoluent,quo nihil abſurdius. Hæc mihi viſa ſunt præcipua,quæ in libello Briſſoti aliqua egerent diſcuſsione: ſed & multa alia, dum ea,quibus diſputat Curtius tractabimus,adhuc perpendemus,quæ cum ſint ambobus communia,in eum locum de induſtria reſeruauimus.

Examē rationū Curtii.

ITaq; primum,& maximum Curtii fundamētum,cui vniuerſa ferè ſua machina innititur, eſt authoritas Hippoc.& Gal.2.& 4.libris de victu in acutis morbis. cui nos eorūdem etiam ſententiam addidimus in libro.3.de articulis,ſeu de membris luxatis,affirmantium venam eſſe ex eodem latere ſecandam. Nos vero credimus nihil eſſe ſcriptum in illis locis,quod ſi rectè, & eo modo,quo ab ipſis authoribus ſcriptum eſt intelligatur, poſsit communem,& inueteratam medicorum in hac re conſuetudinem euertere rationabiliter. Dicimus.n.eodem modo eſſe exponendam eam toties repetitam horum authorum ſententiam,quo conſimilem Gale.3.lib.

com-

commentariorum in.6.Epidem. expoſuit, ea parte, qua Hippo.in hunc modum loquutus eſt. Sunt quibus expe- » dit ſanguinem in talibus detrahi cum opportunum fue- » rit, contra vero aliis, ſicut iſtis, non conuenit: Quem lo- » cum hoc modo expoſuit Gal. Confert, inquit, ſi ſanguis » mittatur alicui ex his, in quibus videlicet ſanguis exube- » ret, qui etiam non ſit plurimum in alium ſuccum muta- » tus, quia ſi fuerit mutatus, illis erit parcendum; vt tamen » virium antea ratio habeatur. quãuis hoc quandoq; præ- » termittatur, præcipue, cum ſermo habetur de his indica- » tionibus, quæ à ſolis proficiſcuntur affectibus. hęc Gale. » ſed dicet ille, quid tum? quorſum hęc? Dico hanc fuiſſe » conſuetudinem illis antiquiſsimis authoribus, vt nõ om » nia omnibus permiſceant, & confundant, ſed in ſua vna quæq; loca digerant, & diſtinguãt, & potiſsimum Hipp. qui quantum potuit, exquiſitæ ſemper ſtuduit breuitati. Vnde cum erat illis ſermo futurus de quopiam affectu particulari, eas etiam perſequebantur indicationes ſemper ferè, quæ affectum illum particulatim ſequerentur. quibus, ſi quando vt ſępisſime fieri conſueuit, aliæ etiam, quæ aliunde exorirentur indicationes, iungerentur, quarum nõ parua eſſet Medico habenda ratio, eas ſeorſum, & vbi magis videbatur rei natura poſtulare pertractare conſueuerunt, quales ſunt indicationes, quæ à toto prodeunt, vel ab impellentibus particulis, ſimiliter quæ à viribus, & quæ ab ætate, regione, anni tẽpore, & aliæ, quæ cum his in eodem ſunt ordine: quæ, etſi non ſtatim ab ipſo morboſo affectu originem habent, tamen illum concomittantur ſæpiſsime, & quandoque eam vim habent, vt Medici operam totam ferè ad ſe conuertant. Attamen cum eas indicationes docent, quæ in ſolis affectibus exiſtunt, illas iſtis non intermiſcent, ſed relinquunt quaſi notas, & aliàs alibi explicatas. de his autem egit Hip. in libro de ſuccis, in libro de aere, aqua, & regionibus, in libro

bris etiam Epidemiorum. Quàobrem,ne videamur extra propoſitum diuertiſſe, dicimus hoc idem ſeruatum fuiſſe in lib. de victu in morbis acutis, vbi particulatim de pleuritide agit,& quibuſdã aliis morbis. ibi enim curare docet pleuritim ratione accepta ab illis tantummo do indicationibus,quæ à pleuritide proficiſcuntur,quatenus pleuritis eſt. Duo enim in nomine,vel ratione pleuritidis comprehenſa ſunt. affectus ipſe,qui phlegmone, vel inflammatio eſt; & locus affectus,quia inflammatio eſt membranæ coſtis hærẽtis interius,& ideo ſtatim duę etiam indicationes primæ exoriuntur,qualitas enim ipſius affectus,qualitatem remedii indicat. Inflammatio enim cum fiat ex ſanguinis multitudine in eo loco comprehenſi,ex propria ratione,ſanguinis euacuationẽ indicat,locus vero affectus,vnde ſit euacuandũ demonſtrat, quia,vt ſæpe ex Gal.ſententia diximus,facillimè,& cõmodiſsimè,per loca proxima, & affinia, fit euacuatio. Vnde ſi has tantummodo indicationes reſpexerimus, dicemus proprium,& peculiare,remedium pleuritidis eſſe,vt ſanguis mittatur: &, cum dolor aſcendit,è vena cubiti.qui ex eodem latere inflammatum locum reſpicit. Verum non ſolum res iſtæ ſeſe ſtatim offerunt medico perpendendæ,ſed multæ aliæ,quæ non ſunt ita pleuritidi peculiares, ſed communes morbis pluribus ſaltem, ſi non omnibus,quæ proprias præ ſe ferunt indicationes, quæ etiam ſæpiſsimè vim eam habent, vt locum præripiant propriis indicationibus pleuritidis,quales ſunt illæ quas paulo ſuperius numerauimus,inter alias autem, quæ à toto prodeunt,vel ab aliqua alia particula,cũ cauſa inflammationis,aut à toto,vel à quapiam alia particula impellitur. Quarum indicationum vt plurimum ordo ille eſt,vt quæ ſunt morbi propriæ,& peculiares,maximè tum vigeant,cum morbus factus eſt, quia aliunde non pendent. Cum vero ſit,quoniam cauſæ generatio-

nis

nis maximè aliunde pendent: cum aliunde originem habeant, ideo tunc vis maior eſt earum indicationum, quæ ab aliis partibus depromũtur, in quibus cauſæ primæ inflammationum reſident. Vnde hoc reſpiciens Gal. 13. " libro de methodo curandi morbos, ſicuti nõ ſemel prius " citauimus, dixit communis omnium inflammationum " ſcopus eſt euacuatio: verum in his, quæ fiunt adhuc, ante " euacuationẽ cohibẽdus eſt ſanguis, ne fluat ad inflammatum locum, quod facilè fiet, ſi cauſas illius nacti fuerimus, quæ duplices ſunt: quia aliquando ex ipſa laborante particula habent ortum, aliquãdo ex alia, vel ex aliis, " & reliqua. Quibus longiori verborum ſerie docet quomodo, & via, & ordine hæc ipſa pertractanda ſint, multaq; de reuulſione differit, à quibus tandem expeditus, vt docuit de eiſdẽ aliis in libris, quibus hæ videbantur forſitan magis pertinere, abũde fuiſſe pertractatum, ad alia tranſiturus, hæc ait. itaq; ad proprios ſolius inflammationis ſermones accedamus. Quibus indicat apertè ea, quæ dixerat non eſſe propria, & peculiaria phlegmonæ. Sed hoc etiam apertius. 4. eiuſdem operis lib. colligere poteris, vbi de rõne medendi reumaticis vlceribus agit, & poſtea q̃ multa de reuulſionis, & deriuationis ratione, cæteriſq; rationibus, quibus huiuſcemodi vlcera curãda ſunt egit, in huiuſmodi autem omnibus ſemper memineris (ait) non eſſe has curandi rationes vlceris, qua hulcus eſt, ſed vel multitudinis, vel malitiæ ſuccorũ, quę ſimul cum vlcere ſunt. His ergo in hunc modũ perpenſis (ni fallor) facillimè reſponderi poteſt & Briſſoto, & Curtio nihil his authoritatibus effici cõtra communem medicorum conſuetudinem, vt à principio ſtatim pleuritidis vena quæpiam in loco oppoſito dolenti particulæ ſecetur, puta in cubito contrariæ partis, vel in tibiis in eodem latere. Quia Hippoc. theoremata ea exponit in hoc libro, quæ ab illis indicationibus colliguntur, quæ

ſequuntur

ſequuntur particulatim ipſam pleuritim,quatenus pleuritis,omiſsis aliis,vel omnino,vel magna ex parte, quæ communes ſunt indicationes,& aliunde naſcuntur, q̃ à propria,& determinata ratione pleuritidis: quia de illis alio loco ſcriptum eſt ab eodem Hippoc. Pro vi autem indicationum mouetur Medicus, vt opem ferat homini laboranti. Indicationes vero,quæ ſunt pleuritidi quatenus pleuritis,maximè vigẽt,cum morbus factus eſt,& materia vel omnino,vel maxima ex parte influxit, aliæ vero,quæ vel totum reſpiciunt,vel impellentes particulas,vel omnino cauſas inflammationis, ſtatim à primis initiis morbi præualent,cum morbus fit,& materia,quæ eſt inflammationis cauſa,impulſa in locum morboſum fertur. Vnde cum illæ ſint propriæ,& peculiares indicationes,iſtæ communes,ratio autem cuiuſcunque artis, vel ſcientiæ conſtat ex quadam determinatione communium per propria; vt ſuperius ex ipſomet Gal. oſtendimus,ideo,& ſi communium indicationum non meminerit hoc loco Gal.vel Hippoc.attamen illæ non ſunt negligendæ; ſed maxima illarum ratio eſt habenda. Et,ꝙ res ita ſe habeat,& Hipp.eas ſolum explicauerit indicationes,quæ propriæ ſunt, & vigent, cum vel iam factus eſt morbus,& ſanguis iam influxit,à quo orta eſt inflammatio,vel ſaltem circunſtãtes,& vicinas occupauit partes,poſſumus facilè ex verbis Hippoc. & Gale. inuicem collatis oſtendere. Si enim ea omnia ſigillatim perpendamus,videbimus ſcopum eſſe Hippo.in ea parte,vt materię tantum collectę in inflammatione,& loco affecto, vicinisq; illi ſtudeat,& morbo facto ſuccurrat,non autẽ dum fit,& ſanguis impellatur. Sed præſtabit forſitan, vt prius quibuſdam reſpõdeamus obiectionibus,quibus credit ipſe reprobari poſſe hanc noſtram reſponſionem, & demonſtrare,ad quamcunq; modo partem medicinæ id ſpectet,ſeu Prophilacticen,ſeu Therapeuticen,Hipp.

non

non modo factam pleuritim. ſed & incipientem, & dum fit; vel materia fluit, curare docet, quod per argumentũ à ſimili oſtẽdere nititur: in aliis enim omnibus ferè morbis, de quibus ille in hoc de victu acutorum morborum libro meminit, omnes indicationes proſequitur, tam quę à fluente materia oriuntur, q̃ eas, quæ à fluxa, vtputa in angina: primum venam humeralem ſecari præcipit, quę cauſas inflammationis, & prima illiùs exordia reſpicit, demum venas ſub lingua, quæ defluxam materiam, & morbum factum. Dum etiam curam febris pertractat, ea omnia docet, quæ à primis ſtatim exordiis vſque ad finem poſſunt congruere. Sed & in aphoriſ non modo ea remedia explicat, quæ parti exactæ morborum curatrici, ſed etiam, quæ præuiſioni poſsint attinere; ſicut eo aphoriſ.6. parti. Dolores oculorum meri potio, & .5. ẽt aph. aphoriſ.67. Dolente capitis parte poſteriore vena in fronte recta inciſa ſanat. Nos vero reſpondemus, ꝙ, ſi Gal. credimus quartus de victu acutorum morborum non eſt inter legitimos Hippoc. libros omnino recẽſendus: multa enim ibidem leguntur, quæ à Gale. non recipiuntur, quemadmodum eſt ea ſententia, quam Curtius quoque citat, vbi voluit pharmacũ ſoluens, eſſe quarta die propinandum. Cum etiam de vena pleuriticis ſecanda agit, Gal. inquit id ibi eſſe additum, quod fuerat in legitima parte prætermiſſum, quaſi ea legitima non ſit. Sed & partem eam vbi de angina agit, Gale. exponens, nunquàm Hippoc. nomine appellat, quod frequentiſsimè alibi facit, ſed ait auth. qui hæc conſcripſit, quaſi incertum ſit, cuius liber ille authoris fuerit. Non negamus autem eſſe quædam ibi, quæ ſapiant Hippoc. vt etiã Gal. teſtatur, ſed dicimus veram illam, & exactam Hipp. ſcribendi, & docendi methodum, quæ in legitimis Hippoc. libris, qui ad editionem ab eo elaborati ſunt, cõſpicitur, in eo deſiderari, & ideo nihil mirum, ſi in illo diuerſum

quippiam à veris,& legitimis Hippoc.libris reperiatur, ſicut in quibuſdam aliis,quos tanquã commentationes quaſdam ad memoriam ſibi potius,quàm aliis fuerat cõmentus. Alioquin enim ſi vellemus ad vnguem omnia perpendere,inuenire poſſemus locos,vnde non leuia argumenta depromere liceret ad corroborationem partiũ noſtrarum,qualis is eſt, vbi author ille, quicunq; fuerit, textu.18.conſulit, vt in inflammationibus præcordiorum,& eorundem tenſione,doloribusq; tum iecinoris, & lienis,tum partium,quæ ſupra præcordia ſunt,vtputa pectoris, nunq̃ à purgatione per pharmacum incipiendum eſſe ante ſanguinis miſsionem,ſed ſemper primum oportere venam ſecari. hoc enim & mediocritatem(ait ille)& ſecuritatem præſtare. quem locũ exponens Gal.
» inquit. Catalogus eſt morborum,qui primum quidem
» miſsione ſanguinis,demum expurgatione etiam egent:
» & in fine ſequentis commentarii,in his, inquit, ſympto-
» matis,de quibus nunc ẽt agit, rectè quidem cenſet prius
» eſſe accedendum ad ſecandam venã,cum ſucci aliqui pra
» ui confluunt ad aliquam partem, & ibi colligantur; & paulopoſt in vniuerſa hac ſermonis ſerie hoc conſulit, prius eſſe venam ſecãdam,deinde vero pharmacum dandum. Quæ ſi vera ſint,vt ea vera putat Gal.& ſibi vbiq; Hipp.conſentiat,quando cenſet pleuriticis eſſe peplion, aut nigrum veratrum exhibendum, ſi dolor ad præcordia deſcenderit,ſupponit prius fuiſſe venam ſectam, nec in cubito eiuſdem lateris; hoc enim magis, cũ dolor ad furculam aſcendit,conuenit: ergo aliunde in parte quapiam contraria: & ſi quo tempore hic pharmacum præbet,eo ibi ſecat venam: &,cum hic pharmacum præbet, fuiſſe prius venam in parte quapiam contraria ſectã ſupponit,à pari ibi quoque, cum venam in eodem latere in cubito ſecat,aliam fuiſſe prius ſectam in parte alia ſuppónit. Sed in ſimilibus nos non facimus vim plurimam,

qui

qui tanquã primario fundamento innitimur antiquæ medendi methodo,quæ à vera ratione indicationũ in morbis conſtituitur,vt Medici omnes rationales atteſtãtur. Quæ vero ex aphoriſ. libro depromuntur,nullam habẽt vim maiorem. puta de oculorum doloribus; nos enim ea,quæ diximus,ſentimus eẽ vera,ſi ad ea reſpexerimus, quę ſub certa medendi methodo,& certo ordine ab Hippocra. literis commiſſa ſunt.vt autem in aphoriſ. neque methodus ordinata ſeruata eſt,ſed ſelecta quædam medicinæ theoremata,hincinde decerpta in librum illũ collata ſunt: vnde multa ibi,quæ in aliis etiam libris eadem habentur, legimus,ita illud theorema de oculorum doloribus fuiſſe Hippoc.empirica quadam potius obſeruatione,credit Galen.,quàm rationali methodo deprehenſum. Aphoriſmus quoque.67.quinti libri nobis potius, & plurimum,quàm illi fauet: nam nos quoque theorema illud aphoriſticum,quo voluit dolorem partis poſterioris capitis tolli per ſectionem venæ rectæ in fronte, in eodem ordine cum hoc in.2.&.4. de acutorum morborum victu ponimus,vbi pleuriticis,ſi dolor ad ſuperiora feratur,venam internam in eiuſdem lateris cubito ſecari; ſi vero ad præcordia ciendam aluum: vtriuſque enim eandem cauſam Gal.refert,& eadem expoſitionis formula vtitur,cum & hic, & ibi has venas ſectas prodeſſe cenſeat,quia vim, & reuellendi, & euacuandi habeant. Vnde,quemadmodum.6.Epidemiorum libro,et in libello de venæ ſectione,Gale.ait,remediũ id in aphoriſmis expoſitum eſſe remedium locale, & particulare, quod moliendũ non ſit,niſi corpore non pleno,vel ſi plenum fuerit,prius per venas brachii exinaniendum eſſe, ne plus fortaſſe ex inferioribus in caput trahatur, quam per eam frontis venam ſectam poſsit à dolente loco,vel reuelli,vel euacuari, ita & remedium hoc in pleuritide 2. de victus ratione &.4.ab Hippocr.laudatum,appro-

bandum eſſe cenſemus, vt tamen tanquàm locale, & particulare recipiatur, corpore vacuo adminiſtrandum, vel cum aliunde prius fuerit ſanguis detractus ad communem vniuerſi corporis tum euacuationem, tum reuulſionem. Sed vnde diuertimus, redeamus. Ait itaque Hip. lateris dolor, ſiue ſtatim inter initia fiat, ſiue poſterius, primum non erit à re alienum experiri, an calidioribus
» fomentis poſsit diſſolui. Gal. autem. Cenſet igitur po-
» nendum eſſe in primis remediis ad medẽdum, vel lenien
» dum dolorem, auxilium per calefactoria, quæ ſoleant cu
» tem raram reddere, cõmodamq; ad difflationes, & ſan-
» guinem, qui in phlegmone eſt, attenuare, & digerere. ꝙ
» ſi hæc fiant particula aliqua ſanguinis ea ratione euacuata, minus deinde affecta loca diſtenduntur, & ita minus dolebunt. Statim ergo per prima remedia Hipp. ſi eius verba rectè expoſuit Gale. id quod factum eſt, aggreditur, nititur enim exuberantem ſanguinem in morboſo loco, qui ab eo diſtentus dolet, diſſoluere, & difflare. Se-
» quitur deinde Hippoc. Quod ſi vi calidioris fomenti do
» lor non ſoluatur, nõ expedit, vt diutius illi immoremur,
» Galen. vero: Quòd ſi ſanguis, qui in phlegmone eſt, non
» imminuatur, etiam ſi vaporoſus ſpiritus à calore gigna-
» tur, tunc euenit, vt dolor increſcat. Cauſa vero, cur ſan-
» guis non imminuatur ea eſt, quoniam corpus vniuerſum
» ſuccis abundat, et plus ad calefactam partem attrahitur,
» quàm diſſoluatur: ea enim natura ſunt calefactoria, vt
» non minus è vicinis attrahant, quicquid ſuperflui in eis
» continetur, quàm id, quod contentum eſt in partibus,
» quibus adminiſtrantur, diſſoluant, quamobrem ſi cale-
» factoriis dolor non cedit, corpus euacuare prius opus
» eſt, Qua parte illud primum eſt perpendendum, quòd ſi in cauſa, cur non modo non proſint; ſed obſint potius calidiora fomenta, eſt corporis plenitudo, manifeſtiſſimo poteſt eſſe argumento, Hippocra. docere curatio-

nem

nem hoc loco pleuritidis, vbi nulla ſit manifeſta indicatio à plenitudine, vel totius, vel partium aliarum. Quis enim eſt, vel mediocriter rei medicæ inſtructus, qui pleuritim curare inciperet calidis fomentis, ſi per ſigna aliqua conſpiciat adeſſe in corpore plenitudinem, quæ in indicando poſsit vim aliquam habere, quæ, ſi negligatur, certiſsimè ſit ob futura. vnde, cum Hippocra. Anaxionem abdiri tam curandum ſuſcepit, cuius hiſtoriam retulit. 3. Epidemiorum libro. cuius etiam Galen. non ſemel meminit, cœpitq; curam eius à calidis fomentis, quibus dolor non ceſsit, & tandem ſanguinem in octaua die miſit, & ſi in eo aliqua forſitan eſſet ſuccorum exuberantia. ob quam fomentis dolor non ceſsit, procul dubio tamen ea plenitudo adeo erat leuis, vt nullis conſpicuis ſignis perciperetur: alioquin enim Hippo. vel ignari Medici, vel improbi, nomine eſſet notandus, qui vel ignoraret calida fomenta obeſſe pleno corpore: vel ſi hoc compertum haberet, his vteretur, quæ certiſsimè, ob futura cognoſceret. Vnde cum fuerit, ſicut ſi diligentius ea, quæ ab ipſo referuntur perpendemus, circa ſextā diem accerſitus, potuit facilè iudicare, vel omnino, vel maxima ex parte, defluxiſſe ſanguinem ad locum affectum, cumq; non adeſſent ſigna conſpicua monſtrantia adeſſe quampiam plenitudinem, ideo venam in cubito in octaua ſecuit, & meo quidem iudicio in latere eodem. Maior enim vis erat indicationis, quæ à defluxa materia in locum affectum, tum in vicinas, & circunſtantes partes, quàm quæ à totius plenitudine, ſumitur. Cum enim quę erat à totius plenitudine, leuis eſſet, & longe minor, quàm illa, quæ à plenitudine partis inflammatæ, optimè poterat vena eiuſdem lateris ſatisfacere, quæ prius, & magis locum inflammatum euacuaret, deinde vero etiam totum ipſum. Sed reddeamus ad locum in ſecundo de victu acutorum morborum, ſubdit, ſed ſi dolor »

E 3 iugu-

iugulum pertingit,aut grauitas fuerit in brachio,vel cir
» ca mammillam,vel partes ſupra præcordia,præſtat ſe-
» care interiorem venam cubiti. Galen. autem; euacua-
» tionem facit iuxta propenſionem,& inclinationem,ſuc
» ci quo fit phlegmone. Quod enim per eam partem, in-
» quam,propenſa ſunt,ducenda ſint,ſi per ea loca ferãtur,
» per quæ ferri expedit,veriſsimum eſt. Si his addiderimus,quod duplex eſt motus ſanguinis in morbo pleuritico: alter quo defertur ad locum inflammationis, & eſt illius cauſa,alter quo vis excretoria particulæ inflamma tæ aggrauata,& ſtimulata,à multitudine delati ſanguinis,nititur repellere in alium locum vicinũ ſaltem,ſi non remotum,partem illius aliquam. Motus quidẽ primus, ſi intercipiatur,prohibemus quo minus fiat inflammatio. Motum vero ſecundum ſi iuuerimus,factam inflam mationem curabimus. Intercipietur aũt primus,ſi procul,& in contrarium reuellendo euacuauerimus: ſecun dum vero adiuuabimus,ſi per eundem locum,vel vicinũ deducendo euacuauerimus. Vnde ſatis liquet, ꝙ, cum Hippo. iubeat ſecari venam in cubito lateris eiuſdem ea ratione,quia per eam partem euacuãdus eſt ſanguis, per quam à natura impelli cępit,vt Gale.exponit: ſolum reſpicit id,quod delapſum eſt,ad phlegmonem,& ad partem morbi,quæ facta eſt,non autem id,quod alinnde im pellitur,& ad partem,quæ fit; quia id, quod defertur, & impellitur ad inflammatum locum,tantum abeſt,vt eo-ducendum ſit,quo feri cœpit,vt potius eius motui ſit re nitendum,& in contrarium trahendum: nam hoc Hipp. præcipit.6.Epidem.libro,commentariorum vero Gale. lib.2.vbi inquit. Si inquam partem non oporteat,pro-
» perent,reuellere. Sed,ſi quo expediat,ferantur, his o-
» pus eſt aperire ſecũdum,ꝙ unumquodq; pronum eſt.vbi
» Galen.didiciſti iam & de his,ꝙ ducenda quidẽ ſunt quo
» maximè inclinant,ſi per cõuunientes regiones ferantur;

auer-

auertenda autem,& reuellenda,quæ rectè propéſionem non habent. Sed interim lege etiam Gale. in libello de venæ ſectione contra Eraſiſtratum,vbi huius loci memi nit. Audio inquit Hipp.talia conſulentem, quæ iudicantur,aut iudicata ſunt integrè,nihil medicamentis innoua re,aut aliis irritamentis,ſed dimittere. Hoc præceptum tibi ſit,cum natura integrè mouet. Et aliud deinde hoc ſequitur. Cum natura ad iudicium quidem inſurgit, ſed non mouet,quantum opus ſit,hortatur ad adiuuandum. Quæ ducēda ſunt(inquit)qua parte maximè prona ſunt, ſi per conuenientes regiones ferantur, ducēda ſunt,quia illa nititur quidem,quod illi moleſtum eſt expellere,ſed propter imbecillitatem non poteſt omnino,& ideo nobis eget adiutoribus. Et ob id pleuriticos maxime per eas partes euacuat, in quas pronus ſuccus eſt : alioquin enim,quid ſibi vult,quod ille ait ; ſi dolor quidem ad cla uem peruenit,aut grauitas in brachio,& reliqua? & hoc perpende,q ſi huiuſcemodi ſectio quæ fit ab interna vena in cubito,ab eo theoremate aphoriſtico pendet,cuius ſecundo etiam de victu acutorum morborum meminit, cuius tempus eſt,quādo natura criſim tentat,nec integrè peragit,quo modo negādum ſit eam potius moliendam, cum influxit ſuccus,& morbus factus eſt ex Hippoc. ſen tentia. Sed ad propoſitum locum in ſecundo de victu morborum acutorum redeamus. poſt ea, quæ nuper citauimus, non multùm, hæc ſcribit Galen.venam ſecare oportet in cubito,quæ vim habeat celeriter,& magis euacuare,& retrahere, ſanguinem ab affecto loco. Et rectè quidem dixit grauedinem ſentiri circa brachium, nō autem dolorem,quia grauitas,vt quæ ex plenitudine ortum habeat,indicio eſt,ſanguinem ibi colligi,& eo vergere : nam ex ſolo etiam conſenſu tenſiónes fieri ſolent: partes enim,quæ phlegmonæ continuæ ſunt, diſtenduntur; quamuis nulla ſit in eis ſanguinis multitudo; quo lo

co perſpicuè docet Galen. ſcopum eo loco eſſe ſanguinem delatum euacuare, non autem, qui defertur, ſiſtere, vel alio reuellere. Sed euidentius hoc idem indicat Hippocra. cum ait. nec timendum eſt plurimum detrahere, donec vel rubicundior multo fluxerit, vel pro puro liuens. Et Gale. limites euacuationis ponit ipſe coloris mutationem: quare reſtat, vt etiam de hoc dicamus. Itaq; ob caloris exceſſum ſauguis, qui in phlegmone eſt, colore mutatur; qui vero eſt in aliis partibus, impermutatus ferè permanet: vnde ſi ſanguis, qui per corpus vniuerſum fuerit diſperſus, pituitoſus ſit, ꝗ in phlegmonoſa parte eſt, rubicundior efficitur. Sed, ſi rubicundus ſit, à calore exuſtus in nigrũ mutabitur, in mutatione autem, quæ fit ex rubeo in nigrum, liuens color intercidit. Quare hæc coloris tranſmutatio ſignum fuerit idoneum ad monſtrãdum deſumptum fuiſſe ſanguinem ex inflammata particula. Mihi videtur res eſſe adeo euidens, vt nulla vlteriori egeat expoſitione. Verum, quia multi his forſitan non acquieſcunt, huic loco ex ſecundo de victu acutorum morborum iungemus locum alium ex Hippo. & Galen. primo libro eiuſdem acceptum. vbi ſic ait Hippocra. Dolore lateris continuè permanente, qui calidioribus fomentis non remittatur, nec ſputum reddatur, imo imputridum lenteſcat; niſi prius vel aluũ moliens, vel ſecta vena, dolorem lenieris, horum vero id feceris, quod expedire magis viſum fuerit, & deinde ptiſanam illi dederis, qui ſeſe hoc modo habeat, veloces mortes ſuperuenient. Vbi Gal. Meminiſſe oportet, ꝙ ſermonem de pleuritide fecerat gratia exempli, quam fieri oſtendimus ab inflammatione membranæ tegentis coſtas. Itaque, ſi quis ptiſanam obtulerit, quo tẽpore inflammatio in vigore eſt, plurimum oberit homini laboranti. cognoſces autem eſſe in vigore, ex dolore continuo, & præterea, quia fomentis calidis non remittatur.

Et

Et paulopoſt inquit. igitur, ſi ægrotus in hoc ſtatu fuerit conſtitutus,& anteqnam ſoluatur dolor,vel ſecta vena,vel aluum ciẽdo,tu hominem interfeceris, & quibuſdam deinde interpoſitis ſubiungit. nunc abſolutè meminit ſectionis venæ,& purgationis,quę per aluum fit. Sed poſtea vtriuſque vſum determinabit. Ecce ergo luce clarius teſte Gal. in. 2. & .4. de victu morborum acutorum ſcopum Hippo. eſſe pleuritim curare per proprias indicationes,quæ vigent maximè,cum materia fluxa eſt, & morbus factus eſt,& ad vigorem,ſeu(vt iuniores dicũt) ad ſtatum perductus; non autem,cum fit, & per eas indicationes,quæ in primis morbi initiis vigent. Non me autem latet,aliquos vidiſſe, & penſitaſſe hunc locum, è quo etiam argumenta deprompſerunt contra ſuos aduerſarios,ac expoſuiſſe etiam hoc modo,quòd per vigorem Galen. intelligit non vigorem, qui à cocta materia rationem habet, ſed vigorem ſymptomatum,& rectè quidem,meo iudicio,expoſuerunt: eos enim arbitror delirare, qui credunt voluiſſe Hippocra. eſſe ſecandam venam cum vigor morbi adeſt,qui coctionem materiæ ſequitur. Verum ex tali expoſitione,nihil detrahitur ex argumenti robore: quomodo enim cumq; vigorem acceperis ſemper cum morbus ad vigorem deductus eſt, materia fluxit,& tumor factus eſt, vel inflammatio: vnde cum hi, qui rationem docent curandi inflammationes, aiunt,inter initia inflammationis ſolis eſſe repellẽtibus vtendum; in augmento, illis eſſe permiſcendum diſſoluentia: cum vero vigor adeſt, ſolis eſſe diſſoluentibus inſiſtendum,ea ratione, quia in principio defluat materia tumorem factura,quæ indicat obſiſtendum,ne fiat tumor,repulſa materia à loco tumoris vi medicamẽtorum repellentium,in augmento partim defluat, partim defluxa ſit,id vero, quod defluxum eſt diſſoluentibus ſoluitur,cum vigor adeſt,omnino influxerit,& ideo locus eſt

ſolis

ſolis diſſoluentibus, illos etiam manifeſtum eſt, temporum morbi diſtinctionem, non eam accipere, quę pēdeat à materiæ concoctione, ſed motu decurrentis ſucci, qui morbum efficit, vel à ratione ſymptomatū etiam. Cum enim materia coqui cœpit, frigida medicamenta, qualia ſunt repellentia, & aſtringentia contraria ſunt, & concoctionem impediunt. Quocunque ergo modo vigorem acceperis, cum viget inflammatio, ſiue vi ſymptomatū, ſiue vi coctionis materiæ, morbus factus eſt & materia defluxa eſt: Ex quibus deinde colligi poteſt hæc concluſio, quod vena ſecāda eſt, in eiuſdem lateris cubito, in coſtali morbo iuxta Hippoc. & Gal. dogma, cum fluxa materia eſt, & cum facta eſt inflammatio, non autem, cum eſt principium inflammationis. Principium verò non tantum intellexerim ante materiæ manifeſtam concoctionem, ſed antequàm etiā impulſa materia, magna ex parte ſit recepta in inflammato loco. Hoc enim tempore præſtat venam quampiam ſecare, quæ ſit in parte contraria per longitudinem, vel per latitudinem. Quia vero Curtius ex commentariis Gale. in ſecundo de victus ratione in acutis morbis multa colligit, quibus probaſſe credit, ſemper, quāuis morbus fuerit in principio, & corpus plenum, ſemper inquam venam eſſe ſecandam, quæ in cubito eſt eiuſdem lateris, ideo videndum etiā, ſi quid roboris habeant eius rationes, ad id confirmandum: primum aūt illius fundamentum innititur modo, quo phlegmone gignitur: fit enim dum ſucci ad venas, & arterias primum inflammationi circunſtantes impelluntur, & in ipſam deinde inflāmationem. quo ſuppoſito, ab his, qui ad fluxam materiam confugiunt, cum venam ex eodem latere ſecandam præcipitur, quærit eam ne intelligant, quæ circunſtantes venas influxit, an potius eam, quæ in phlegmonem delapſa eſt. Nos huic petitioni reſpondemus, vtranq;, quia nullam indicandi rationem variat

hæc

hæc,vel illa,dum recens eſt. Quia,ſi ad primam,& com munem indicandi rationem reſpiciamus,cum & hęc,& illa repletiōnem importēt,euacuationem indicant:cũq; iam ambę defluxę ſint in malè affectum membrum,licet non penitus in eandem partem,qua ad euacuandi communem modum indicant deriuandum. Vnde autem euacuandum ſit, ſitus,& plaſma membri indicat, in quo inſurgit tumor phlegmonoſus. Itaque cum indicationes non euarient, vtriuſque dixerim ego eſſe vnam, & eandem rationem. Cum vero ait. igitur in principio erit ſecanda vena in eodem latere, cum inter inflammationis initia iam defluxerit materia, in circunſtantes venas, & arterias: hoc ego non negauerim: non tamen propterea crediderim confici, quin ratione defluentis ſucci à partibus aliis ad circunſtantes venas, & arterias, vt alio ſcilicet eius impetus conuertatur, ſit prius vel è latere oppoſito, vel è tibiis detrahendus ſanguis. Nec aliquid etiam obſtare puto, quin hoc, & illud inter morbi initia poſsint adminiſtrari. quéadmodum & ipſi quandoque ex eodem latere bis ſanguinem mitti conſulunt in ipſo etiam morbi exordio,neque hoc eſſe interdictũ ab Hip.putauerim. Cum autem ad materiam defluxam in phlegmonem conuerſus quærit,eam crudam,vel concoctam velit euacuare. crudam opinor, ſed cum infert. ergo inter initia,quia concordes Gal.& Hippo. in libro aphoriſmorum primo,aphor.23.& 25. &.2.aphoriſm.29.prędicant. ſi quid in acutis morbis ſit mouendũ purgantibus medicamentis,id eſſe agendum tantummodo inter morbi principia,cũ vero viget,potius eſſe quieſcendum. Mea quidem ſententia,& ſi ratio prima facie videatur efficax,ex hoc tamen fundamento non minores videntur Curtiũ angnſtiæ præmere,ſi voluerit prorſus Hippoc. conſentire. Conceſſo enim ꝙ in principio morbi velit Hippo. aluum purgari cum dolor deſcendit

ad

ad præcordia, conſtat autem Hippoc. purgatoria pharmaca in principiis admiſiſſe cum ſurget morbus. Vnde Gale. libro ſecundo commẽtariorum in ſextũ Epidem. locum illum Hippo. exponens vbi Græce ait, τὰς ἐφόδους ἀνεϛομοῦσθαι &c. ita inquit, quando tempus in quo euacuandum eſt apertè indicat, quia vel inter initia ante morbi coctionem, quando ſcilicet (vt ipſe ait) turget. & vis, quæ animalia regit, ſuccos excernere properat, vel poſt cõcoctionem noxiorum ſuccorum. nam & hoc ipſe prius in aphoriſ. docuerat: Quare neceſſe eſt etiam fateri, ſemper pleuritim, ſaltem in qua dolor deſcendit, ex materia turgente pendere, quod alienum eſt, ab Hippocratica doctrina, raro enim dixit ipſe Hippocr. in acutis morbis turget materia, & ideo raro pharmacis in principio purgandum eſt. ipſe autem viderit, quomodo ſit ſoluendus hic nodus. Sed ad dubitationem, quam habere videtur ratio illius, nos hoc modo reſpondemus, ꝙ, ſi tẽpora inflammationis ea ratione accipiantur, qua coctionem materiæ reſpiciunt, in pleuritide cum vigor adeſt, neque vena ſecanda, nec quicquam medicamentis purgatoriis mouendum eſt, ſed nec in augumento cum coquitur, quia motus concoctioni contrarius eſt, vt Gal. docet in commẽtariis in quartum librum de victu morborum acutorum. ſed in principio antea, q̃ videatur manifeſte materia coqui. Verum in hoc principio, ſi non ſemper, ſæpiſsimè ſaltem, & præcipuè in morbis reumaticis, tria cõtinentur tempora, ſi ſymptomata reſpexerimus, & motum defluentis ſucci, principium, augumẽtum, & vigor. Quæ quidem tria tempora, & ſi cõſtituant vnum principium vniuerſale, quantum ad concoctionem materiæ, tamen, ſi inuicem cõparentur, nõ ſunt vnius, & eiuſdẽ conditionis, & naturæ: quod maxime inde patet, quia in illis continuè aliæ, & aliæ vigent indicationes, quæ aliam, & aliã, expoſcunt remediorum rõnem. Dum. n. incipit deflue-

fluere ſanguis,indicationes illæ maximam vim habent, quæ indicant motum eſſe intercipiendū,cauſis remotis, quæ ad motum excitant,vel aliò auertēdum. Cum vero continuè magis fluit,vt partim fluat,partim fluxerit,mixtas etiam oportet eſſe rationes indicationum,& remediorum,vt partim reſpiciāt id,quod influit,& fit,partim id,quod influxit,& factum eſt. Cū vero omnino,vel magna ex parte fluxit,ea ſola ratio relucet,quæ fluxā materiam,& morbū factum reſpicit. Et hoc quidem tēpore ſcopus eſt,vt citiſsimè, & maximè euacuetur ægrotans particula,ſed in principio,dum fluit adhuc,vt euacuētur partes illæ,vnde defluit,& occaſio auferatˉ, cur defluat. Et ideo, ſi neceſſaria ſit in his morbis ſectio venæ, ea in principio,cum fluxus incipit,in parte quapiam oppoſita ſecāda eſt,vt partim eo pacto ſubtrahatur occaſio impellendi,partim aliò conuertatur impetus irruentis ſanguinis. cum vero maxima ex parte,aut oīno fluxit,ea ſecanda eſt,qua facillimè poſsit euacuari id,quod iam influxit,qualis eſt,quę in cubito eſt in eodem latere. vt tamen hæc oīa fiant in principio,in quo nulla adhuc videantur ſigna manifeſtæ alicuius concoctionis; non autem in eadē iſtius principii parte,quia in prima illius parte locus eſt reuellentibus euacuationibus,& quæ maxime pertinent impellentes particulas, in poſtrema, quæ maxime morboſum locum,& defluxam materiam: cum vero ſigna manifeſta viſa fuerint indicantia materiam coqui, nullo pacto mouenda eſt,ſed quieſcendū. Dicimus ēt ad id,quod Curtius afferebat,vt probaret,cū deſcendit dolor,eē ſtatim à principio euacuandū ſoluēte pharmaco, quia tūc mouētur ſucci. nā cum ſtabiles ſunt,& loco vni hærent,mouendi medicamētis nō ſunt,ſed cōcoquendi: & pari modo,ſi ſecanda vena,in principio ſecāda eſt. Dicimus,inquā,ꝙ in morbis duplex eſt motus materiæ,quę cauſa eſt morbi; vt paulo etiā ſuperius expoſuimus,primus,

mus,quo vel à toto, vel ab alia quadam parte propulſa fertur in locum morbidum; alter, quo pars illa in quam defertur,tandem aggrauata,& irritata,multitudine,vel mala qualitate materiæ illius,nititur illam repellere ad partes alias,vel vicinas,vel remotas, & ſi poteſt omnino repellere,ipſa libera euadit. ſi autem omnino non poteſt,inde fit,vt dolor pertingat partes etiam eas,in quas dirigitur propulſus ſanguis,vt iugulum,vel brachium, cum inflammatio inſedit ſuperiori thoracis parti. illa uero,vel præcordia,cũ inferiori: &,vt diximus, primus motus indicat eſſe reuellendum, ſecundus per eam partem,inquam vergit,euacuandum. cum ergo deſcẽdit dolor, purgamus medicamentis, & materia mouetur non eo motu,quo feratur in locum inflãmationis; quia, cum motum illum reſpicimus,non per eam partem, in quam propenſus ſanguis eſt,purgamus, imo per contrariam: ſed eo motu,quo defluxam materiam membrum repellit,quam ſi poſſet omnino repellere, liberum euaderet, & ideo adiuuandus eſt is motus,& per eum locum deducendus ſanguis eſt,in quem ſponte propenſus eſt; facillimè enim eo modo ducetur. Quare concludendo dicimus,ꝙ cum deſcendit dolor, purgamus ea. quæ purganda ſunt anteꝗ̃ figantur. tunc enim renititur vis excretoria. quæ ſi non poſsit omnino repellere deinde incipit coquere,& parare,vt facilius poſtea expulſioni obediant, & tunc incipit morbi augmentum, quantum ſpectat ad concoctionem materiæ,& tẽpus id eſt,in quo dixit Gal. non eſſe mouendos ſuccos,ſed coquendos,dum vero repellere nititur,nihil prohibet,quin moueamus ſecta vena,vel purganti pharmaco, nec tamen limites principii excedimus,niſi cum natura non mouet amplius, ſed coctioni dat operam,& eo tempore nihil mouendum eſt. Secundũ etiam argumentum,quo probat illud eſſe dogma Hippocraticum,vt ſtatim à principio, quãuis corpus

fuerit

fuerit plenum,ſit vena in eodem latere ſecanda,quia calidis fomentis non conferentibus venam ſecari prçcipit, quæ non conferunt, propterea quia corpus plenum eſt, & materia defluit,& hoc idem paulopoſt confirmat ex aphor.31. lib.7. non erit valde ſolutu difficile. Quia nemo eſt adeo demens,qui credat Hippocr. conſuluiſſe, vt cum ea fuerit corporis plenitudo,quæ ſe ſtatim à principio euidentibus ſignis Medico cognoſcendam efferat,calidis fomentis tentemus,an poſsit dolor ſolui,qui nouerit optime ea non poſſe non nocere. Et non ſolũ Hipp. ſed etiam Gale. qui 2. lib. ad Glauc. prædicauerit inimiciſsimum eſſe reumaticis tumoribus locum fouere calidis medicamentis,vtputa aqua calida,vel oleo,vel ſimilibus,quod repetit. 3. lib. artis medicinalis,& 13. metho di medendi. Quare ſi non alio, ſaltem hoc argumento perſuaderi debuiſſent hi,ne ita malè ſentirent de Hipp. qui à principio inflammationis voluerit,cum corpus plenum fuerit, eſſe vtendum fomentis calidis, quæ locum non habent,niſi cum nullus timor eſt,ne aliunde materia trahatur. Dicimus ergo,ꝙ facta phlegmone,& materia defluxa,ſi præterea aliqua adſit corporis plenitudo, ea tamen leuis,& exigua eſt. neque.n. multa poteſt eſſe,cũ ſignis euidentibus ante vſum calidorum fomentorũ non comprehendatur à Medico : ſed tantũ experimento ſum pto,à lædentibus,& iuuantibus cognoſcitur, atq; etiam illius indicatio,& ſi aliquam vim habeat,eam tamen leuem,& imbecillam habet. Indicatio vero eo tempore defluxæ materiæ valida eſt, & fortis, & ideo vena, quæ in cubito eſt ex eodem latere, maxime quidem, & primum ſatisfacit materię defluxæ,& laboranti particulæ, poſtea vero ea ratione,qua vndecunq; mittatur ſanguis, ea tandem euacuatio totum pertingit,ſatisfacit etiam leui illi totius plenitudini,quæ cum leuis ſit,non eſt timor, ne materia ad locum phlegmones trahatur, ſicut quan-

do

do plenitudo maior eſt,& ea de cauſa non eſt etiã opus tanta auerſione. Si vero ſecanda eſſet vena ante defluxam materiam,potius in oppoſito latere,ꝙ in eodem eſſet ſecanda,quia reuulſio magis eſſet neceſſaria, & fortior etiam eſſet indicatio ab impellente particula emanans & à totius plenitudine quam à recipiẽte, & inflammata. Quod poteſt etiam Galen.verbis oſtendi,qui ob hanc prærogatiuam laudat ſecari venam,quæ ſit in cubito eiuſdem lateris,quia celerrime,& maximè,à loco affecto euacuat,atque hoc ipſum maximè in morbis acutis quærimus. Si ergo hoc quærimus præcipuè in acutis morbis,maximè eo tempore quęrimus,cum res illę maximè vigent,à quibus indicationes exoriuntur,quæ euacuationem loci affecti expoſcũt.maximè vero expoſcũt, cum maximè repletus eſt,& maximè repletus eſt, cum defluxit materia : ergo locus venæ in cubito ab eodẽ latere ſecandæ maximè eſt,quãdo materia defluxa eſt,ſed à principio,dum defluere incipit,quærendum potius eſt, vt fluxui, & cauſis defluxus obſiſtamus,vt ſæpius dictũ eſt. Vnde ratio,quæ huic fundamento hæret, quia.ſ.primum remedium ab Hippocra.iniunctum,eſt fomentum, quo non conferente, ſtatim venam ſecandam ex eodem latere præcipit,vt voluerit Hippoc.ꝙ primò vena ſecanda illa ſit,quę eſt in eodem latere,facilè poterit in ſuum authorem retorqueri. Noluit Hippo.ſicut nec Medicus aliquis,qui ſapiat,dum defluit materia,nunquàm fomenta calida adminiſtrari,vt oſtendimus,ſi liquido cõſtet ad eſſe corporis plenitudinem conſpicuã.ergo docet in præſenti curare pleuritim in corpore,ĩ quo nihil indicet corporis manifeſta plenitudo,& fluxus euidens: vbi nõ modo concedimus non eſſe incipiendum poſt fomenta à vena in oppoſito latere,ſed ſæpe prætermittendam etiam illam,quæ ex eodem latere fiat : nam quandoque poteſt ſolis fomentis locus exinaniri,ſi materia multa non ſit :
quandoq;

quandoque, vt docuit Alexander Trallianus, cucurbitulis loco affixis. Et Galen. quoque cum Hippoc. 3. libro commentariorum in ſextum Epidemiorum, voluit nonnunquam in pleuritide nullum eſſe mittendum ſanguinem, quo etiam loco narrat hiſtoriam cuiuſdam, qui, cũ dubio procul pleuriticus eſſet, illi nec venam inciſit, nec alioquin ſanguinẽ miſit, ſed aliis remediis pleuriticis peculiaribus vſus ad ſanitatem perduxit. Quamobrem, cum alia ſit curandi ratio, vbi corpus plenum ſit, & defluat materia, alia, cum nulla alia viget indicatio, quàm ea quæ, tum ab affectu, tum à loco affecto prodit, non errant illis ex hoc loco petendæ authoritates, vt reiiciatur ſectio venæ in oppoſito latere, vbi eas ſolum indicationes perſequitur, quæ à pleuritide, vt pleuritis eſt, ortũ habent, ſed aliunde. Nec vim etiam maiorem habet id, quod ex ſexto aphoriſmorum libro, aphoriſmo. 22. productum eſt: neq; enim de ratione curandi doloris dorſi agit, niſi per eas indicationes, quæ ab ipſo affectu, & loco etiam dolente depromendæ ſunt. Vnde non per reuulſionem, quæ in contrarium, quam feratur cauſa doloris, retrahit, ſiue modo audiatur contrarietas ratione motus, ſeu ratione membri in quod mouetur, imo per eam met partem, in quam vergit, & à natura propellitur, vacuat, vt diximus. Vnde nos etiam dicimus, ꝙ in pleuritide; quando nulla aliunde exurgit indicatio præter quàm à loco dolente, & ab eo, qui illi condolet, puta lateris, & brachii, cùm dolor aſcendit, eſſe ſtatim pungendam venam in eodẽ latere, qua citisſimè, & facillimè poteſt, & locus dolens, atque etiam condolens euacuari. Verum, cum tãta eſt corporis repletio, vt timeatur, ne ſucci plus decurrat ad affectum locũ, quàm ab eo ſecta vena laboranti parti proxima detrahatur, non illa ſecanda eſt, ſed alia in locis contrariis, & remotioribus. Sed, & quod poſtremo adductũ eſt, aut nullius eſt, aut minimi cuiuſdam

 momenti.

momenti. Non enim phlebotomia modo in eodem latere, quæ ſtatim fomẽtis ſuccedit iuxta præceptum Hippocratis, poſt aliquot dies nonnunquam differenda eſt, vtputa, dum corpus conſpicue plenum eſt, & viget fluxio, ſed ipſum etiam fomentum interdum, quouſque totum inaniatur, & fluxus intercipiatur; quo tempore euacuationi reuulſoriæ imprimis inſiſtẽdum, qua ſimul corpus inaniatur, & fluxus intercipiatur. Quòd ſi dixeris fluxus puerum illum oculis laborantem, cuius meminit Galen. in lib. de mittendi ſanguinis methodo, plurimis diebus infeſtauit, facilè eſt reſpondere; id enim euenit, quia Medici priores nullum adhibebant ſtudium, vt defluentes ſuccos refrenarent. quòd ſi ſtatim inter initia huic rei ſtuduiſſent, breui fuiſſet interceptus, ſicuti breui, & facillimè à Galeno effectum eſt. Vnde hoc idem argumentum probaret fomenta, donec acceſsiones tertianis ſimiles conſpiciuntur, non eſſe adminiſtrãda, cum acceſsiones fiat ex nouo materiæ defluxu: defluente vero materia, fomenta ſuſpecta ſint, imo conferre non poſſint. Hippoc. tamen initium curæ eſſe voluit à fomentis. Locus etiam quem ex Hippoc. citat. 6. Epidemior. ſexta ſectione, tantum abeſt vt putem illis fauere, vt potius aduerſari videatur, ſi tamen quicquam habet, quod huic negotio attineat. Hæc diximus, quia, ſi verba ita ſimpliciter audiantur, vt leguntur, nihilq; prçterea ſubintelligatur, nihil in eis inuenias, quod vel pro hac, vel pro illa parte quippiam faciat. Ait enim Hipp. ꝙ remedia dolorum ſunt, proximi ventris purgatio, ventris ſanguinis inciſio; hoc eſt, venæ ſectio, vſtio, ſectio, & reliqua; vbi niſi aliquid ſubaudias, nihil ex hoc loco reportabis, niſi quod ſecare venam ſæpe remedium affert doloribus. Quæ vero, & quomodo, & quando ſecanda ſit, ne meminit quidem. Noui quid reſponſuri ſint illi, qui Curtio ſunt addicti. illud idem eſſe ſubaudiẽdum in ve

næ

næ ſectione, quod in purgatione expreſſum eſt: proximum enim ventrem purgare dicit Hippoc. ita etiam audias proximum ventrem ſanguinis hoc eſt proximã venam ſecare. Eſto, ne nimis ęquo videamur eſſe proterui, hoc illis condonemus, intellexiſſe Hipp. proximam venam: ſed eos deinde rogatos velim, ne tantum corticem verborum intueantur, verum ad medullam etiam ſenſus penetrent. Nos itaque ſigillatim omnia perpendamus, & primum, quando purgare vẽtrem proximum expediat, non diſcedentes tamen à Galen. veſtigiis: nam, & ſi eius commentatio mutila ſit ea parte, non deſunt tamen quædam, quæ poſsint nobis aliquid luminis afferre ad huius loci intelligentiam. Ait enim, dum particularibus exemplis id, quod in vniuerſum docet Hippoc. explicat. Si ſucci mordaces in inteſtinis contineantur, ea, quæ detergant primum iniicimus, puta, aquam mulſam, & ſuccum ptiſanæ, quæ vbi excreta fuerint, ea adminiſtramus, quæ leniant morſus: & quibuſdam interpoſitis, addit, φ, ſi illi in ſuperiori ventre fuerint, maximè vero circa os ipſius, ad vomitum prouocabimus. hæc Galen. ſed videamus quid Palladius in commentatione loci eiuſdem proferat: nos autem græca illius verba afferemus. in Latinis tamẽ cõmentariis quantũlibet barbaris, quæ ſub nomine Ioannis Alexandrini edita ſunt, ea fuſius, & dearticulatius explicantur: quare vtraq; nos aſcribemus. Itaq; Palladius Gręce ſic ait.

Εἰ γοῦν ὀδύνην θέλεις θεραπεῦσαι, μέμνησο τοῦ ἱπποκράτοις κανόνος. Ὅτι δεῖ σε πρότερον κοινὴν ἐπιμέλειαν ποιήσασθαι τοῦ παντὸς σώματος· καὶ εἰ μὲν ποιότητι λυπεῖται, καθάμωμεν. εἰ δὲ ποσότητι, φλεβοτομήσωμεν. ἀλλ' ἱπποκράτης λέγει σοι καὶ τὸν τόπον,

δὶ οὖ ὀφείλεις ποιῆσαι τὴν κάθαρσιν, φησὶ γὰρ διὰ τῆς ἐγγυτάτω κοιλίας (κοιλίαν δὲ καλεῖ, πᾶσαν κοιλότητα) καὶ θέλει σε τὴν ἐγγύτατα κενοῦν: ὥσπερ ἐν τῷ περὶ διαίτης τῶν ὀξέων πλευριτικὸν φλεβοτομῶν διὰ τὴν κοινωνίαν τοῦ μορίου τὴν μάσχαλην ἀνεςάμβυον. ἔξεςι δὲ καθολικὸν τὸν λόγον λαβεῖν: ἐγκέφαλον γὰρ κένωσον, διὰ ὑπερῴας καὶ μυκτήρων, θώρακα δὲ, διὰ βικὸς. hoc eſt igitur ſi dolorem volueris curare, memineris regulæ Hippocratis: ꝙ inquam ratio in primis habenda ſit totius corporis, quia ſi illi ſit qualitas moleſta, purgabimus. ſi vero quantitas, ſecabimus venam. Sed & locum tibi monſtrat, per quem expediat purgationem moliri. inquit enim, per proximum ventrem. (& ventrem, omnem appellat concauitatem, atque iubet quàm proximũ euacuare. quemadmodum in lib. de victu acutorum morborum, pleuritico venam ſecturus, eam quæ per aſcelas tranſit ob ipſius particulæ communionem ſecat. tibi vero licet eam rationem vniuerſalem accipere: nam cerebrum euacuato per palatum naresq́; , pectus autem per tuſsim. Ea vero latina commentaria, quæ ſub Alexandrini nomine circunferuntur, vt diximus, hæc eadem copioſius, & ſi barbare admodum, explicant in hunc modum. Si corpus patiens eſt, aut à qualitate materiæ patitur, aut à quantitate, aut ab vtroque, & ſi quidẽ à quantitate, debemus phlebotomare; ſi vero à qualitate, purgare; ſi ab vtroq; , phlebotomare, & purgare. Sed inueſtigemus modum phlebotomiæ: ſiquidem enim ſuperuenit dolor capitis propter multitudinem ſanguinis, tunc oportet ſcindere venam, quæ venit à muſculis ſca-

pularum:

pularum: ſi vero pleuritica fuerit diſpoſitio à multitu- „
dine ſanguinis, tūc illam, quæ eſt in aſcellis, ſicut dictum „
eſt in regimine acutorum: ſi vero nephretica diſpoſitio „
ſit, tunc incide venam, quæ eſt in tibia: in mulieribus ve- „
ro ſi retentio menſtruorum ſit, tunc incide venam, quæ „
eſt in nodo, & vniuerſaliter ſemper venas adiacẽtes inci „
de: & hoc quidem, ſi quantitas fuerit ſuperabundans. „
Si vero qualitas, tunc purga, ſed tunc per conuenientia „
membra. verbi gratia, ſi eſt qualitas in inteſtinis, tunc „
per inferiora efficies purgationem; ſi vero in pectore, „
per tuſsim, & ſputum; ſi in ore ſtomachi, per vomitus; „
ſi in renibus, per diuretica: & vniuerſaliter quæ dicta „
ſunt in aphoriſmis, quò vtique repit, per conuenientia loca fieri euacuationes, & reliqua. Hæc ſi in cute tantummodo proſpicias, iudicabis ſtatim iſtorum dogmati fauere plurimum; ſi vero intus, neceſſe eſt fatearis, aut eſſe falſiſsima, aut illis plurimum aduerſari, nec alium in hac re teſtem præter Gale. citabimus. audi ergo quid ipſe. 13. lib. methodi medendi ſcripſerit. Nec ſatis eſt „
hoc ſolum inueniſſe, quòd euacuandum ſit, vt profiten- „
tur, qui ſectam eam cuiuſlibet methodi expertem ſequun „
tur, negligentes differentias affectarum particularum: „
nam non modo ratio, verum & experimentum mon- „
ſtrat, alteram alteri parti competere euacuationem: vn „
de & quoſdã vidiſti, qui dum inciperent oculorũ phleg- „
mone teneri, ſola purgatione per aluum inferiorem ipſa „
eadem die curati ſunt, quod ſi quis tentare auſus fuerit „
inter initia phlegmones iocinoris, maximam excitabit „
phlegmonem: & pari etiam paſſu ſi quis, dum renes, aut „
veſica inflammari cœperint, ea propinauerit, quæ cient „
lotium, aut muliebres mẽſes excitauerit in vteri inflam „
matione. & paulopoſt; Et eadem deinde ratione neq; „
cum aut ventriculus, aut inteſtina phlegmone laborant, „
vti his, quæ aluum deiiciant expedit. eandem cum his „

indicationem habet vterus, ſicut pudenda cum lotii inſtrumentis. Et alia præterea multa in hanc ſententiam ibi ſcribit Galen. quæ toto, vt aiunt cœlo cum ſuperioribus pugnare videntur: nec ea vnquam conciliabis niſi ab eodem Gal. occaſionem ibidem acceperis, & dixeris Hippocra. 6. Epidem. morbum reſpicit, cum nulla aliun de indicatio vrget præter eam, quæ eſt à laborante particula, & à ſuccis in ea contentis. Gal. vero. 13. metho. medendi de morbis, & inflammationibus ſermonem habet inter initia dum fiunt, quo tempore non eſt per ventrem proximum euacuandum, ſed remotum, & contrarium. Quia teſte ipſomet Gale. eodem loco, oportet q̃ longiſsimè à parte, cui fluxio moleſta eſſe cœpit exuperantes ſuccos reuellere, non autem ad ipſam attrahere. Quòd ſi res iſta hoc ſe habeat modo, nobiſcum conſentiunt Gal. & Hippoc. non autem cum illis. De his tamen poſterius etiam aliquem ſermonem ſumus habituri: nunc enim ad alia properamus. Volumus enim diſcutere verum ne ſit id, quod tanquam corrolarium deriuat. Hippoc. præferre deriuationem per venam ſectam reuulſioni. In hoc enim ambiguitas eſt non exigua, cum duplex poſsit eſſe huiuſce pronunciati ſenſus: quandoquidem poteſt intelligi, ꝙ nonnunquam Hippoc. neglecta, & dimiſſa reuulſione, quæ remotiores terminos motus reſpicit, ſola ſit contentus deriuatione. Quiquidem ſenſus profectò verus eſt, imo, vt ſuperius etiam teſtati ſumus, quandoque nec deriuatione etiam opus eſt, ſicut ſi pleuritis leuis ſit, quæ nulla egeat ſanguinis miſsione, vt oſtendimus paulò ſuperius ex Gale. ſententia in fine. 3. libri commentariorum. in. 6. Epidem. Sed hoc etiam Hippoc. conſonat. 2. de victu acuto. Neque enim venā pleuriticis ſecat, niſi cum fomenta non iuuant, ꝙ ſi iuuerint, illis contentus eſt. Is autem ſenſus congruere minime videtur eis, quæ ipſe profert ad corroborationem

huiuſce corrolarii, tum ex Hippoc. & Gale. tum ex Auicenna; vt ex ſimplici eorum lectione vnuſquiſque comprehendere poterit. Vnde ſecundus ſenſus eſt, conſueuiſſe Hippoc. (quando vtraque expedire iudicat) reuulſionem ſcilicet, & deriuationem, reuulſioni deriuationẽ præmittere. Nos vero hoc eſſe falſiſsimum, facillimè poſſumus oſtendere teſtimoniis Hippo. & Gale. poſſemus etiam Auicennæ, ſed illos volumus nobis eſſe ſatis. Primum itaque locum ex Hippoc. & Gal. 6. Epidem. & commentariorum in eundem. 2. citabimus; & eſt locus ſuperius à nobis iterum citatus, vbi ait Hipp. Quæ diſſimilia ſunt, ſi ſurſum delata repant, deorſum ſoluere, & contraria etiam hæc. quem Gale. exponens, ita inquit, diſsimiles appellari intelligamus ſuccos, qui locis incongrui vel inepti ſunt, vt illi ſermo hac parte ſit, de prima affectus generatione, qui iubeat ſtatim ad contraria reuellere. Ecce ergo reuulſio remedium eſt, quod ſtatim à prima morbi generatione adminiſtrandum eſt. ſed longe etiam apertius Gale. hoc idem indicat. 4. lib. de medendi metho. vbi de reumatico vlcere agẽs, citato prius Hippoc. in lib. de ſuccis, ſic ait. Quare nunc etiam ſi fluxio vehementer adhuc feratur, per cõtraria reuellemus: cum vero deſierit iam, atque in ipſa particula ſteterit, præſtabit deriuare, quid apertius? Si dixerint hoc eſſe in ſanis audiendum antequam male ſint affecti, aut dum fluxio nondum arripuit certam quampiam particulam, facilè mendacii coarguuntur? curat enim eo loco vlcus, cui fluxio iuncta, impedimento ſit. Si dicant Gal. ibi de venæ ſectione non agere, ſed de euacuatione, quæ vi ſoluentium medicamentorum fit, nihil eſt: nã paulo infra idem Gal. inquirit, nunquid Hippoc. conſuluerit etiam ſanguinẽ mittere in huiuſcemodi vlceribus: & non nullis interpoſitis, hæc tandem literis mandat. Quòd ſi id quidem didicimus ab eo in vniuerſum, quòd

dum fluxiones initium habent, reuellere expediat, cum vero reſederint in affecta particula, euacuatio, vel ab affecto loco, vel quam proximè molienda eſt, in promptu nobis eſt vt in præſentia de ſanguine etiam mittendo ratiocinemur, ꝙ inter initia hoc à remotis ſit agẽdum, demum ab ipſa vlcerata parte. Poſſemus innumeras etiam Gal. author. ex. 13. & 14. eiuſdem operis libro citare, & 2. etiam ad Glauc. & alibi, vbi ſemper reuulſionem primis morborũ, præcipuè vero phlegmone initiis accommodat, deriuationem vero proprie morbo facto, & materiæ iam defluxæ. Quo vero ad Hippo. authoritatem, & Galen. 6. Epide. quam ipſe citat, attinet, neſcio quid ibi ille reperierit, quo poſsit probare Galen. aut Hippo. ſenſiſſe oportere Medicum præmittere, dum operatur, reuulſionem deriuationi, cum potius contrarium ſapere videatur. & ſi enim deriuare prius dixerit, poſtea reuellere, tamen, ſi etiam ibidem Gal. legeris, nihil aliud inde habueris, niſi, quòd incipit ibi docere modos, & quaſi numerare, quibus vti ſolemus, cũ ſucci exuberant. nec vnquàm inde elicies, ꝙ, propterea, quia prius meminerit deriuationis, quàm reuulſionis, voluerit in opere etiam Medici præmittendam reuulſioni deriuationem: imo, ſi ſigillatim verba illius obſeruaueris, contrarium videbis, ait enim cedentem reuellere ſtatim. Statim ergo, cum expedit, reuellẽdum, & inter initia, nec differendum. Sed & auſim hoc dicere, ꝙ mihi videtur ille obaudire Gale. ſententiam in ea commentatione: nã quid aliud voluit cum Hippoc. Gal. niſi non eſſe omnino, & perpetuo ab ipſo initio ad finem vſque inſiſtendum reuulſoriis auxiliis, verum per quædam interualla: ita vt, cum per ſpatium aliquod, quantum tibi viſum fuerit expedire, reuulſeris, aliquanto etiam à reuulſione vaces, vt interim poſsint vires membri affecti à reuulſione non diſtractæ, dare operam, vt, ſi quid ſucci delatum prius

fuerit in affectã partem, excernatur, & excutiatur prius, q̃ ſibi firmam ſedem ibi paret; quia ſi ibi ſteterit, tum multitudine diſtendens, tum qualitate afficiens, oberit. Contra vero, ſi locum dederis, vt prius delati ſucci excernantur, & membrum labore liberabis, & facilius illud reuulſoriis remediis iuuabitur, quia non amplius vi doloris excitabit fluxionem ſuccorum, vt in id ruant; & iterum deinde poteris reuulſione agere. Qua parte ſatis euidenter patet, nihil ex hoc loco depromi, quod illi faueat. Quia vero clara ſatis res hæc videtur, trãſeundum nobis eſt ad concluſiones per quattuor illa tempora diſcretas, è quorum numero duæ imprimis merentur, mea quidem ſententia, vt in examen reuocentur, ſecunda. ſ. & tertia. vtpote quæ iuxta Comici ſententiã, rimarum plenę hac illac perfluere videantur: à ſecunda autẽ initium ſumamus. Ait ille, cum materia fluit, nondum tamen cępit in aliqua parte recepta ſtare, ſiuę extra corpus fluat, vt in profluuio ſanguinis è naribus, & in alui fluxibus; ſiue intra corpus feratur, nullas tamen adhuc ſedes habeat in aliqua parte, ſed in continuo adhuc motu ſit, euacuanda eſt per partem aliquã, vnde reuelli poſſit; hoc eſt, in contrarium, quàm prius moueretur, conuerti. Ni me autem mea fallit opinio, dubium admodum eſt ex vtraque parte pronunciatum. Quo enim ad eam partem, quæ fluxionem reſpicit, qua extra corpus ſucci excernuntur, videre poteſt vnuſquiſque, ſi falſum non ſit, multàs pati anguſtias, cum conſtet liquido apud Medicos, fluxum curari fluxum, & vomitum à vomitu tolli, dixit etiam. 5. Therapeutic. metho. Galen. cum Hip. in lib. de vulneribus, ꝙ fluxus ſanguinis à vulneribus ſę pe mirum in modum cõfert: quare non omnino verum eſt, reuellendum eſſe cum ſucci moti extra corpus feruntur. Sed hac parte relicta, multa enim poſſunt hinc & inde produci, ad eam accedamus, quæ de materiæ fluxione

xione, quæ intra corpus fertur, nondum tamen alicubi figitur, loquitur: etenim hæc longe maiores anguſtias patitur: quinimo ita abſolute prolata, & falſa eſt, et ab Hippocra. & Gale. medicina plurimũ aliena, potiſsimumq; ſi ad morbos acutos referatur. Nam in acutis morbis cum inter initia ſucci mobiles ſunt, nec vno cõſiſtunt loco, vt Gal. 1. & 2. aphoriſ. exponit, turgere dicuntur, & indicant ſtatim eſſe euacuandum antequam, aut labefactetur vires, aut febris augeatur, aut illi in principem aliquam partem decumbant: citiſsimè vero, & commodiſſimè euacuabũtur, ſi per eam partem id fiat, non per quã in contrarium conuertantur, qua fluere cœperint, ſed potius inquam procliues feruntur, vt potius ſecundum motum iliorum trahamus, q̃ contra eorum motum reuellamus, eo maximè, ꝙ impetus is delatorum ſuccorum fiat à vi excretoria, vel totius, vel earum partium, quæ principes ſunt, irritata. & huic rationi ſubſcripſiſſe videtur Gal. & Hippoc. 1. apho. aphoriſ. 20. cum ait quę ducenda ſunt, ea parte ducenda, inquam maxime natura procliuis eſt, ſi per loca fiat commoda, & expedientia. ducenda vero ſunt aut quæ mouentur inter initia morbi, cum nondum alicubi ſteterunt, aut quæ cocta ſunt, nec per criſim excernuntur. vnde Gale. 2. lib. commentariorum in 6. Epide. in hanc ſententiam deſcendiſſe putamus, cum
„ ait. Itaque inter initia antea, quàm coctus ſit morbus:
„ cum (vt ipſe inquit) turget: & natura, quæ animal regit,
„ incumbit, vt ſuccos excernat, euacuare oportet: vel po-
„ ſtea, q̃ concocti ſunt: nam & ille hoc docuit in aphoriſ.

Nec tertia concluſio minoribus eſt obnoxia difficultatibus. Primum. n. mirũ mihi ne dixerim abſurdum videtur, ꝙ velit ipſe. ꝙ nulla penitus differentia ſit, quantũ ad Medicum attinet, qui ſanguinẽ detracturus eſt in morbis defluxoriis, in quibus fluxionem aut dolor, aut phlegmone concomitatur, ſiue materia defluẽs nuper initia morbi

bi excitet,minimaq́; ex parte fluxerit,maxima vero fluat: ſiue morbus non modo iam inceperit,ſed plurimum ſit adauctus, & prope vigorem iam peruenerit, maximaq́; ex parte fluxerit materia,& minimum ſit id, quod amplius fluit. Etenim hoc & abſurdum videri poteſt,& à celebrioribus in medicina authoribus omnino diſſentiens. Quia cũ morbus,tum phlegmone inter initia dum fit,duas habet partes,ſi modo illæ partes appellari poſſunt:id ſcilicet,quod iam factum eſt,& id,quod(vt aiunt iuniores)futurum eſt fieri. quod factum eſt ab eo, quod fluxit,habet ſuam conſiſtentiam: quod vero futurum eſt, ab eo,quod nondum defluxit,ſed vel fluit,vel eſt fluxurum: cuius ratio vniuerſa à cauſis defluxus petenda eſt. Quare,cum inter initia morbi modicum ſit,quod defluxit; multum vero,quod fluit,aut fluxurum eſt,Gal. teſte 13. metho. medendi,longe eo tempore fortiores ſunt indicationes,quæ à fluente ſucco,q̃ à fluxo trahuntur. Hæ vero Medici ſcopũ in primis ad fluxionis cauſas conuertunt,deinde autem ſecũdo loco ad affectam partem, & factum morbum: indicant enim primum abſcindendas cauſas. Ideo quærit primum Medicus,vt aut totum, aut partes impellentes euacuet: per eam vero partem, qua & ille euacuari commodè poſsint,& in contrarium conuerti impetus irruentis ſucci. ea vero erit huiuſcemodi,ſi proxima ſit,& affinis impellẽti; procul vero in contrarium ſita laboranti & recipienti,vt ſuperius ẽt probauimus. Vnde ea euacuatio,qua locum affectum reſpicit,reuulſio eſt. de qua ſic locutus eſt Gal. 14. libro metho. medendi. „Itaque cum in priapiſmo prǫferendus ſit „vomitoriorum vſus his,quæ aluum deiiciunt, contra vero „in affectibus linguæ,ſatis conſtat,ꝙ huiuſce rei indicatio „ex particulæ ſitu naſcitur,reuulſio.n.ita ab Hippocr. appellata, non à ſubſtantia,ſed à ſitu mẽbri,quod curandum eſt,ſuam habet inuentionem. Cum vero omnino,

aut

aut magna ex parte defluxere ſucci,& ad vigorem properat morbus: vt illæ indicationes vim aſſumunt, quæ à ſucco delapſo,& recepto in affecta parte,exoriuntur,ita aliæ langueſcunt, & tunc locus imprimis eſt deriuationi. & is eſt verus verborum Gale.ſenſus,niſi quis mente cecutiat,cum ait eorum,quæ membrum aliquod obſederunt,deriuatio medela eſt. Proinde ſecundo, ſatis etiam liquido cōſtare poteſt,quā id falſum ſit,quod ipſe deinde,quaſi corrolarium profert; non expedire, vt inter morbi initia reuulſio adminiſtretur,quæ procul reuellat,propterea quia non tantum eo tempore retrahendum ſit,quantum ex affecta particula plus euacuandum, quam ex aliis. hæc vero nec rationi conſona ſunt, nec verbis Gale. ipſe enim. 13. metho.Therape.non ſemel, ſed ſæpius repetit,eam reuulſionem in initio phlegmone eſſe moliendam,quæ procul adminiſtratur, & procul reuellat. ἐπὶ τὰ πορρώτατα τὴν ἀντίσπασιν ἀεὶ ποιήσεις. ait ipſe & poſtea etiam ἀντισπᾶν γὰρ χρὴ τῶν ἀρχομένων ῥευματίζεσθαι πορρωτάτω τὸ βέλτιστον, οὐκ ἕλκειν ἐπ' αὐτά. Vnde & lubrico corrolarium hoc nititur fundamento. Nam qui fieri poteſt,vt inter initia phlegmone, aliqua ſit indicatio,quę vim habeat impellendi Medicum ad cogitandum,vt plus ex affecta particula euacuet,quàm ex aliis,ſi,vt,ex Gale.& ex ratione oſtendimus ſuperius,nō plenitudo recipientis particulæ,ſed plenitudo totius, & partium propellentium præſtat fluxioni occaſionem; vnde phlegmone ſua habet primordia, vnde etiam augetur? quare incipiēte phlegmone,plus,& prius euacuandum eſt ex aliis,ex impellētibus inquā particulis,vt ſtatim ſubripiatur occaſio,cur illa augeatur,q̃ ex affecta,& recipiente. Intercepta vero fluxione, id,quod influxit, aut deriuatione tollitur,aut euacuatione,quæ ex affecta

parte

parte ſtatim fit. Et rem hanc adeo lucidè expreſsit Gal. vt mirũ ſit,quo mõ hi in re tam clara dormitauerint. cũ eodẽ.13.toties iam citato inquit.itaq; ſumma,& vniuerſum veluti momẽtum rationis curandi partes illas,quæ phlegmone laborant, conſiſtit in euacuando ſanguine, qui exuberat in inflammata parte: quod quo intelligendum ſit modo,habebis,ſi aliquanto ſuperius legeris,vbi inquit. Communis quidem phlegmonarũ omnium ſcopus eſt euacuatio: ſed,dum adhuc fiunt, antequam euacuetur, prohibendum eſt,ne ſanguis ad inflammatã partem defluat. & id rectè fiet,ſi cauſam fluxionis fuerimus nacti,quæ duplex eſt &c. Ecce quàm paucis lucidiſsime ea omnia complexus eſt,quæ nos probauimus,& explicuimus longiori oratione. Tranſeamus tandem ad loca decerpta ex dexiodicis Gale. libris: itaque in primis illum teſtem citat. 13.Therapeu.methodi: & in libello toties citato de venæ ſectione, & præterea in lib.2. ad Glauc.vbiq; enim non modo præfert venæ ſectionem,ſi in eodem latere fiat,verum & eam damnat,quę fit in oppoſito,ꝙ vel nullum,vel exiguum remedium pręſtet:& hoc non ſolum in pleuritide, ſed in omnibus viſcerum inflammationibus. Sed meo quidem iudicio, qui adeo pertinaciter illis inhęrent authoritatibus,videntur oculis conniuentibus libros Gal percurriſſe,nec illius methodum,morem,& ordinem animaduertiſſe: & ideo de hac re nobis ſunt nonnulla repetenda,& explicanda.

Methodus medendi ex ratione plurium indicationum diuerſarum,& ſæpe etiam contrariarum cõſtat: quare munus fuerit authoris,qui lucidiſsimè,quo ad eius fieri poteſt,methodum hanc docere propoſuerit, ſequi præcepta Galen.3.lib.methodi Therape. vt ſcilicet indicationes illas vniuerſas diuidat,& diſtinguat in ſuas differentias,nõ modo primas, & communes, ſed vltimas etiam, & proprias,& eas in eum ordinem,quem natura poſcit,

dige-

digerat. & deinde ſeorſum, & ſigillatim vniuſcuiuſque vires,& rationem monſtret. & proprios ſcopos,vel metas exponat: & poſtremo,quia plures ſæpe,& quandoque contrariæ circa vnum eundemq; morbum verſantur regulas aliquas conſtituat, quibus illas inuicem conferendo,poſsit Medicus in rectum opus dirigi. Quę cum ita ſe habeant,& cum pleuritis inflammatio ſit mēbranę illius,neceſſe eſt eā fieri à copia maiori ſanguinis,quàm particulæ illi à natura debeatur: quæ copia maior prouenit ex defluxu aliunde. cuius cauſa ſita eſt plurimum aut in quoppiam alio membro,vel in toto,& quandóq; etiā (vt ſuperius expoſitum eſt)in ipſo inflammato loco: vnde tria ſunt, quæ ordine quodam ſe conſequuntur, fluor ſanguinis,plenitudo,affectus,vel membrum ipſum affectum,quæ omnia propriam habent indicationem. Fluor indicat eſſe intercipiendum motum,plenitudo eſſe euacuandum,affecta particula locū indicat,& modum,quo ſit euacuandum. præterea ex defluxu ſit phlegmone, ex plenitudine vero, & præſentia ſanguinis in loco affecto eſt,ſuamq; habet, aut ſubſtantiam dixeris,vel ſubſiſtentiam. His hoc modo expoſitis, ſi in quæſtionem trahatur, vtrum præſtet in pleuritide, ſecare venam eiuſdem lateris, an potius oppoſiti; non poteſt, meo quidem iudicio,aliter rectè reſponderi, niſi prius ille interrogatus fuerit, qui mouerit huiuſcemodi quæſtionem, quid potius ſibi proponat Medicus,cum pleuriticum addit,an vt prohibeat ne fiat, vel augeatur morbus. (neque enim hæc admodum differunt quantum ad rationem operandi; quia eadem via,& eiſdem inſtrumentis,quibus cauemus,quo minus fiat,eiſdem prouidemus, ne augeatur,) an potius præſentem ſoluat, & curet: nam & hæc maximè differunt, & in his indicationes valde differentes deſeruiunt. Quia ſi velimus præſentem,& factum morbum curare, ſtatim duæ inſurgunt indicationes. Prima,

ma,eſſe euacuandum,cum ſit morbus ex plenitudine: altera modum, & locum vnde ſit euacuandum,quem natura,& ſitus particulæ morboſæ indicant: optime nãq;, & commodiſsimè fit euacuatio per partes affines, proximasque, & è directo. Quantum ergo ad eas indicationes, quæ à pleuritide ortum habent, quatenus pleuritis eſt, non autem quatenus ſit, ratio medendi expoſcit,vt vena ſecetur eiuſdem lateris,quia ſi aliunde ſanguis hac de cauſa mittatur, vel nihil,vel parum, tardeq; proderit. & hæ ſunt propriæ,& peculiares indicationes pleuritidis. Ideo rectiſsimè Galen. eas indicationes proſequens, quæ à præſente, & facto morbo ortum habent exponens, præcipit venas ſecandas proximas, & directè locum morboſum reſpicientes. Quòd, ſi potius oporteat occurrere, & prohibere, ne morbus fiat, aut ne augeatur,alio recurrendum eſt: inueſtigandæ enim ſunt cauſæ motus ſanguinis decurrentis ad morbidum locum,ab eis enim tota ferè vis indicandi nobis cõperta fiet. quę cauſæ præcipuè in partibus impellentibus ſitæ ſunt,& non in laborante,& dolente. in hoc enim eodem libro dixit Galen. quòd, & ſi aliquando dolor cauſa ſit attrahendi ſanguinem ad inflammatum locum: & ea ratione prima occaſio à dolente loco profluat; tamen, quod totum eſt in phlegmone, ab aliis ſuperpoſitis partibus proficiſcitur. nã,ſi alię partes prius euacuentur,vel nihil dolens locus poterit attrahere, vel parum admodum. Quo fit deinde,vt cum omnes indicationes, quæ tunc vim habent, in impellentibus particulis ſitæ ſint,ab his,non ab affecto loco, ratio omnis,cum euacuationis,tum reuulſionis petenda eſt. Vnde non eſt amplius quærendum,qua ratione maximè,et celerrimè poſſit euacuari locus affectus, ſed partes impellentes,vt tamen conuertatur etiam in contrarium impetus ſanguinis irruentis, vel qui facilè irruere poſſet, vndecũq; periculum

culum immineat. Sed ſi quis dixerit: quid ergo agendum,cum partim fit,partim facta eſt phlegmone? facilis eſt reſponſio. illi enim indicationi potius inſeruiendum erit,quæ vim habet maiorẽ: ſtatim in principio (vt diximus ſuperius)vim habent maiorẽ indicationes,quæ vigent,cum fit. quo autem magis vlterius procedit morbus hebeſcunt hæ: & vim maiorem acquirunt,quę morbum factum,vel præſentem,concomitantur. Hæc ergo eſt Galenica doctrina in hoc lib.loco ſæpius citato, cum dixit,ꝙ communis omnium inflammationum ſcopus eſt euacuatio: ex quibus omnibus hæc colligo,vt,ſi quis dixerit pleuritim recte curari ſecta vena eiuſdem lateris: is optime reſponderit: ſi vero addiderit,etiam ſi in principio fit phlegmone,& totum plenum ſit; ſtatim à recta rationę aberret. & hæc ſatis ſint, quantum ad has authoritates. Ad alias accedamus,& ad eam præcipuè, quæ ſæpe à Gal.repetitur,& illis non leue ſui dogmatis fundamentum videtur præſtitiſſe. vbi præcipit,in affectibus earum partium,quæ ſupra tranſuerſum ſeptum, iecurq́; ſitæ ſunt,venas eſſe ſecandas in brachio lateris illius, in quo reſidet malè affecta particula; in affectibus vero partium earum,quæ infra ſunt, venas tibiarum: & hoc ſiue reuellere,ſiue euacuare voluerimus. Qua parte non parum admiror,quomodo non animaduertant viri hi alioquin docti,quemadmodum ea theoremata, quæ ſibi inuicem ſimilia ſunt, quæq́; ab eadem cauſa, & ratione habent originem adeo,vt alterum alteri facilè poſsit lumẽ præſtare,ipſi in contrarios ſenſus, diſsidẽteſq́; rationes diſtrahant. id quod poſſumus facilè monſtrare. Quemadmodum enim tum Gal. tum etiam Hippoc. in affectibus ſuperiorum partium venas brachii ſecant,& in affectibus inferiorum,venas crurum: pari etiam ratione.4.
„ aphoriſmorum libro. aphoriſ.18. docent,ꝙ dolores qui
„ ſupra tranſuerſum ſeptum moleſti ſunt,ſi egeant purga-
tione,

tione,ſignificant,eſſe per ſuperiora purgandum : qui vero infra,per inferiora: quem locum exponens Gal. in fine commentarii ait,ꝙ purgandum eſt ſecundum propenſionem ſucci noxii. ita vt,cum dolores ſupra præcordia fuerint,à medicamentis abſtineamus, quæ aluum ciant : & à vomitoriis, cum partes ſupernæ dolent : & ſimili etiam: imo eadem de cauſa, præcipit æſtate purgandum eſſe per ventrem ſuperiorem, hyeme vero per inferiorem. Quæ & ſi palam ſint prolata à Gal. & Hippocr. ſi illis etiam ſententiis,quæ aliis in locis ſcripta ſunt,attenderimus,videbuntur illi quidem ſibi inuicem pugnantia ſcripſiſſe. 13. enim lib. metho.Therapeu.&.2.ad Glau. & commentariorum in.6.Edidemiorum lib.1.in bubone ſubaxillarum,& in brachiorum inflammatione, venas in tibiis ſecat,& in bubone inguinum, è contrio pede ſanguinem mittit; in inflammatione autem genu,à cubito ſanguinem detrahit in.10.etiam de medicamentorum compoſitione per loca,de coxendice agens, & ſi dixerit aliquos ſecta vena in cruribus ſtatim ſanos euaſiſſe,conſulit tamen non multo poſt,eſſe ſecandam venam cubiti. Præterea in libello de ſectione venæ podagricis uenas in cubito ſecare conſulit,vertiginoſis vero,& illis qui comitiali morbo tenentur,in tibiis. Sed quod etiam fortius eſt in. 2.lib. ad Glauc. docet Galen. reuulſiones in vteri affectibus etiam faciendas per venas cubiti. Sed aphoriſmorum etiam lib.5.Hipp. ſi menſes mulieri ſanguinē expuenti erumpant,bonum eſſe dicit.Gal.vero rōnem huius reddens inquit,iure merito bonum eſt;quia inde reuulſio ſequitur, pariter & euacuatio ſanguinis repentis ad ſuperiora : quod & Medicus debeat imitari. Sed quid de medicamentis etiam dicemus, cum legerimus.6.aphoriſmorum, aphoriſm.17.vbi dixit Hippoc. eſſe ſalubre,vt,ſi quis lippitudine,vel ophthalmia,laborauerit,ventris fluxu arripiatur Gale.hæc dicentem,hoc

" eſſe exemplum quoddam eorum,quæ ſponte,& cum vti
" litate euacuantur,adeo,vt Medicus etiam hac in re natu
" ram imitetur: quod omnes profectò faciunt. lippienti-
" bus enim clyſteribus, & medicamentis aluum mouent:
" qui tamen affectus in ſuperioribus eſt. ſed &.13.Thera
" peutices methodi ait. Igitur cum circa ſedem,vel ali-
" quam aliam partem illi propinquam, cęperit phlegmo-
" ne gigni,nequaquã aluum moueris, & paulopoſt. Itaq;
" eadem ratione,ſi vẽtriculus,aut inteſtina cęperint phleg
" mone teneri,nullo modo expedit vti medicina,aluũ ſol-
" uẽte. &,vt ſimilem cum his indicationem habet vterus,
" ita cum lotii inſtrumentis pudenda: nam vomitu vti laborantibus pudendis,reuulſiuum remedium eſt.nec mul to poſt ait. Nec vtile fuerit miſcuiſſe aloen medicamen tis,quæ bibenda ſunt ob phlegmonem partium interiorum, quia illi immixta eſt vis purgatoria.10.quoq; lib. de compoſitione medicamentorum per loca,iuuari potius,qui coxendicum doloribus laborant, vomitu affirmat,quàm aluum ſoluentibus,& eadem,dum de priapiſmo agit. 14.Therapeu. metho. repetit. Sed nonne & Hippoc. ſi dolor ad præcordia deſcenderit, pleuriticis aluum nigro eleboro deiicit. Quare magnus vbiq; videtur eſſe hic labyrinthus,& ferè inextricabilis:quem tamen,ſi filum quod nobis Gale. porrigit,ſequamur, facilè euademus: doet enim cum in libello de venæ ſectione: &.13.de methodo curandi morbos; tum in cõmentariis de victu ſalubri,hoc eſſe primum conſiderandum, ſi qua ſit euacuatio facienda,an illa fiat propter corporis cuſtodiam; quia ſcilicet timeamus,ne in morbum illabatur; an potius propter morbum præſentem; quo quiſpiã laboret iam: ſi propter cuſtodiam,vel morbus ille, quẽ timemus illius generis eſt,vt vni tantum particulæ proprius ſit, ob id ſcilicet,quia ſanguis,vel alius ſuccus, qui in corpore exuberat,ſit ſolitus in eam tantummodo par

tem,

tē,propter illius forſitan imbecillitatē,recurrere: vtputa,cum pleuritim, aut coxendicem timemus, vel potius per vniuerſum corpus diſcurrere,qualis eſt febris,vel articularis morbus,cum per omnes artus vagari ſolet. Si morbus ille communis ſit corpori vniuerſo, vndecunq; magis fuerit commodū,bene examinata euacuandi corporis,& euacuandi ſucci natura,euacuari poterit: quia vndique totum poteſt euacuari. ſi vero vni tantum partim timeamus,euacuādum quidem eſt totum corpus, verūm ita euacuandum,vt reuulſio ſit euacuationi iuncta, quod fit ſi euacuatio,vt Galen.docet.4.&.5.&.13. methodi Therapeutices procul à loco ſuſpecto fiat,& per aliquam illi contrariam partem. Quod,ſi morbus cœperit iam,corpusq; plenum fuerit,ſi Gal. ſequamur in libello de venæ ſectione,ea ratione agendum eſt, ſicut ſi, anteq̄ morbus inuaſiſſet,curat; aggreſsi eſſemus. At,ſi morbus factus ſit, & ſanguis,vel ſuccus alius omnino, aut magna ex parte defluxerit à loco proximo, aut ab ipſo loco morboſo,& per eam partem, in quam pronus eſſe videtur ſuccus,euacuandum eſt. hoc enim Gal. cum alibi ſæpe,tum in commentariis in librum de ſalubri victu docuit,loco ſuperius à nobis citato,cum dixit, ꝙ ſuccos collectos & in aliquo loco exuberantes purgare expedit per eas partes,in quas procliues ſunt; ſed cū prohibere voluerimus,ne colligantur,& exuberent,per contraria loca reuellendum eſt. quapropter cum dolores, vel morbi alii ſupra pręcordia,vel iecur inſederint,vel ſuſpecti ſint,ne inſideant,anteq̄ cęperint,vel,ſi cęperint, res tamen ſit in principio, & cum ſuccus defluit, mittendus eſt ſanguis,vel purganda aluus per infernas partes. Cum vero defluxit magna ex parte,morbusq; factus eſt, per ſupernas: contra,cum illi idem affectus partes occupauerint,quæ infra iecur,& ſeptū tranſuerſum ſitæ ſunt. Hæc vero,quę vniuerſalioribus cum rationibus,tum au-

thoritatibus hactenus monſtrauimus; poſſumus particularibus etiam exemplis ex Galen. excerptis, aliiſq; præcipuis Medicis, imprimis autem Græcis facillimè firmare, atque euidens facere, eum eſſe verũ, & genuinum earum authoritatum Gale. & Hippoc. ſenſum, quem nuper expoſuimus. Et, vt ab ea exordiamur parte, qua de purgatoriis medicamentis eſt ſermo habitus, põt quilibet legere, quæ ſcripſit Gale. 5. lib. de medicamentorũ compoſitione per loca, vbi de medicamẽtis male affecto ventriculo congruentibus diſſerens, ea examinat, quæ fuerant ab Aſclepiade literis prodita, & in primis antidotum relatam in authorem Themiſonem, quam hieram, hoc eſt ſacram appellari dixit, & remedium afferre internis viſceribus phlegmone laborantibus, ſi cum aqua mulſa propinetur autumat: conſtat autẽ ex multa aloe,
» ita enim inquit. Non eſt illis qui phlegmone tenentur
» omnino, aut quocunque tempore exhibenda, ſed cum co-
» cta fuerit, aut inclinauerit. nam rectè cenſuit Hippocra.
» concocta eſſe medicamentis purganda, non cruda, neq;
» in initio, niſi turgeant, hoc eſt niſi ad excretionẽ irritent.
Ecce ergo medicamenta aluum deiicientia in ventriculi affectibus cum materia defluxa eſt, & morbus non modo factus, ſed ad vigorem quoque perductus, admittit, quæ. 13. Therapeu. metho. dum ille fit, & ſua habet primordia, omnino repudiauit. Longe etiam pluribus, & manifeſtioribus exemplis poſſumus aliam partem explanare, quæ venarum ſectionem ſpectat. quarum cum bipartita ſit ratio, quantum ad pręſens negotium ſatis eſſe poſsit: viſceribus enim, quæ ſupra iecur, & lienem præcordiaq; ſunt, venæ, quæ in cubito ſecantur, & interna in primis, inſeruire videntur. his vero, qui infra ſunt, maximè vero inteſtinis, veſicæ, vtero, pudendis, & in eundem ordinem cũ his Gale. coxendicem redegit, magis venas, quæ prope poplitem, aut maleolum ceduntur. Nos ve-

ro,

ro,ſi oſtenderimus,quo pacto Gale.ac cæteri,qui illum coluerunt,ea, quæ ad hunc ſecundum ordinem attinent tractauerint,arbitramur facillimè inde depromi poſſe, quo pacto illa,quæ primo ordine comprehéſa ſunt, pertractari oporteat. à coxendice autem exordium accipiamus. Itaque Gale.lib.10. de compoſitione medicam. per loca,vt propoſuit ſe primum de coxendice facturum ſermonem,quę vt raro à ſanguinis multitudine habet ortum, ita citiſsimè miſſo è tibia ſanguine curatur, tandem poſt quędam interpoſita, hęc literis mandat. Quoniam vero ad huiuſce affectus curam vim plurimam habet totius corporis euacuatio, ab ea auſpicandum eſt, nec modo, è tibiis, ſed è cubito etiam ſanguis eſt detrahendus. Quem locum ſi methodo antiquorum volueris accommodare, modo alio nunquam poteris, niſi quòd inter initia, tum reuellendi, tum totius corporis vacuandi gratia, è cubito mittendus eſt; è tibiis vero, cum volumus deriuare, & euacuare, quod in partem morbidam delapſum eſt: quippe ea de cauſa etiam paulopoſt vomitoria cientibus aluum præfert, quòd reuellant ſuccum,qui deorſum delabitur. & hæc eſt Aetii, & Pau. Aeginetæ loci huius lucidiſsima expoſitio, authorum non ex plebeo ordine. Libro enim.12. Aetius ſtatim ferè ab initio hoc theorema in húc ſanè modum explicat. Igitur,cum coxendicis dolor ex plenitudine or- „
tum habet,curatur celerrime miſſo ſanguine,primũ qui- „
dem,è vena in cubito,deinde vero prope talum,aut po- „
plitem; inter initia enim inflammationum omnium ve- „
na ſecanda,quę vim habeat reuellendi,vtputa, ſi pes in- „
flammatione tentetur,ſanguis in initio è brachio eſt de- „
trahendus. Sed, cum affectus inueteraſcũt,in primis ab „
affectis partibus,vel,ſi id fieri nequeat,à proximis. Vtitur autem Aetius,dum hæc explicat, ipſiſmet Galen. verbis, vt vnuſquiſque, qui illum legerit, poteſt animaduer-

tiſſe. Id ipſum etiam Paulo placuiſſe conſtat, cum lib. 3. cap. 77. hæc ſcripſit. Itaque, ſi ſtatim à principio offeratur, qui coxendice laborat, eiectis prius aluui excrementi clyſteri, venam, quæ in cubito eſt, ſecandam eligimus: ſi tamen poſt tempus aliquod acceſſerimus, è dolẽte crure ſanguinem potius detrahemus. res hæc adeo eſt euidens, vt ineptum ſit diutius in his tempus terrere. Poterunt forſitan ii, qui partes contrarias defendũt, iſtis obiicere illud, quod frequens reperitur in eorum libellis inſperſum; hos dolores nõ eſſe acutos morbos, quẽadmodum pleuritis, inflammatioq; iocinoris, plurimum autem eſſe rationem diuerſam curandi acutos morbos ab aliis, qui minimè ſint acuti. illi enim quòd maximè vrgeant, remediis præſentaneis, atq; adeo celerrimis egẽt, cum in mora non exiguum vitę diſcrimen immineat, niſi ſtatim laboranti particulæ opem feras. Proinde eas venas ſtatim aggredi eſt opus, quibus celerrimè poſsit ſuccus noxius, tum vacuari, tum reuelli. hoc vero expedite, & valide agunt venæ proximæ; ſero, & languide, remotæ. Qui vero non æque acuti ſunt, nõ id diſcriminis annexum habent, ideo, vt lubet, agere licet, & ob id Gale. admittit in coxendice phlebotomiam venarum, quæ contrariæ, & remotæ ſint. Arguta ſanè obiectio, quæ tamen nihil noſtræ detrahat ſententiæ. Primum quidem quia, ſi oporteat Galenum ſibi ipſi conſentire vbique, & conformem eſſe, cum ait venas in affectibus, qui ſuperiora viſcera detinent, ſecandas in brachio, in cruribus vero, cum infernis moleſti ſint, neceſſum eſt, vt quocunq; modo tu partem vnam expoſueris, patiaris eodẽ modo me aliam exponere; qualeſcunq; ſint illi morbi. Deinde vt hoc nihil ſit, quis eſt adeo ineptus qui nolit fateri eſſe officium optimi Medici, vt morbos omnes, quo citius, & cõmodius poteſt, curet, & expediat. Vnde ſi tuto, citoq; per ſolam poteſt deriuationem ſectis venis proximis, &
affini-

affinibus loco laboranti,tolli morbus,ſiue acutus ſit ille, ſiue non,cur ſint remotæ reuellendi cauſa ſecandæ? Ad quid.n.permittere diutius hominem vehemētioribus diſtorqueri doloribus,ſi cito poteſt ille his venis proximis ſectis,citra incommodum vendicari in libertatem. Sed ſi id citra incōmodum fieri nequeat,magis illud in morbis acutis eſt timendum,vbi quantumlibet minimum incōmodum vitæ affert periculum. Sed & id addiderim, ꝙ ſi in acutis morbis ſit vehementior, & celerior motus defluentis ſucci. Cum autē magis in motum ſucci procliues ſunt,ſi verum eſt Galen. Theorema.4.meth.Therapeu.deſcriptum,ab Hippoc.autem in lib.de ſuccis,tūc in primis reuellendum,& maxime per contraria, in acutis,q̄ maximè per contraria reuellendum eſt. Vt autem exactè huic rei ſatisfaciamus ad eos etiam morbos, qui in acutis poni poſſunt, tranſeamus, è quorum numero phlegmonem vteri eſſe putamus,in qua idem Gale. ſenſiſſe arbitramur, quod de coxendice diximus. nam ſi iis, quæ in Therapeuticis à Gal. literis prodita ſunt, loco nuper citato, vbi inquit principis phlegmone, dum fluxio viget,eſſe reuulſione occurendum,cum vero reſederint ſucci,fluxioq; fuerit intercepta,deriuatione,ea addideris,quæ idem.2.lib. ad Glauc.ſcripſit, reuellere in vteri affectu,venam in cubito ſectam,deriuare vero prope poplitem,& maleolum,conficies Gal.ſenſiſſe initiis phlegmones ſuccurrendum eſſe venæ cubiti ſectione,factę vero phlegmone,prope poplitem & maleolum.& rē hanc in iſtum modum Aetius & Pau. necnon Orbaſius intellexere,qua parte de vteri inflammationibus ſermonem habentes,à venis in cubito incidendis exordiuntur. Et ſi quis nobis Gal. obiiciat, qui in libello toties citato de ſectione venæ damnare videtur ſectionem venæ cubiti in vteri inflammationibus,quod præter alia incommoda,quæ affert,menſes quoq; ſupprimit, quemadmodum,

ſi in cruribus ſecetur, eoſdem ſuppreſſos euocat, dicemus cum eodem Gale. 13. Therapeu. inter initia non expedire menſes cieri, non modo medicamentis, ſed nulla præterea ratione alia. non enim poſſunt cieri, niſi ſanguis verſus vterum conuertatur, in initiis vero procul reuellere oportet, non autem ad ipſas affectas particulas trahere. Cum igitur ſolam curamus vteri inflammationem, nec aliunde alia viget indicatio, venas in ſuris cauſa deriuandi ferimus. cum vero à fluxione ſuccorum in locum morbidum, & à totius plenitudine exorta indicatio viget, vt & totum exinaniamus, & pariter delabentes ſuccos ab affecto loco reuellamus (iudice etiam Galen.) venas cubiti aggrediemur. Vt illi alioquin ſint deridendi, qui vt hunc laqueum effugiant, varias commenti ſunt expoſitiones: alii enim inquiunt Galen. authoritatem intelligendam in menſium profluuio immoderato, non in phlegmone. nonnulli in phlegmone quidem, ſed vbi illi menſium iungatur profluuium. Omnia ſunt deliramenta, ſeries enim, & locus, & ſcopus Galen. in libro illo clariſsimè oſtēdunt illum eo loci de phlegmone in primis verba facere. Has etiam rationes ſequuti Græci authores, curam phlegmone ventriculi, & inteſtinorum à venæ cubiti ſectione auſpicantur. Hæc autem volumus nos eſſe ſatis, quantum ad primam authoritatum illarum partem, vbi ſenſit Galen. ſcindendas eſſe venas ſuperiores, cum ſuperiora viſcera laborant, inferiores vero, cum inferiora. Vbi ſatis liquido conſtare puto, non eſſe à Galen. dogmate alienam eam ſententiam, vt inter initia pleuritidis vena prope talum tundatur. Nunc vero ad aliam accedamus partem, qua præcipit venas eas eſſe eligendas, quæ κατ' ἴξιν ſunt, hoc eſt è directo laborantis particulæ, cui adeo tenaciter hærent hi qui huic ſectæ ſunt addicti, vt nulla ratione videantur poſſe diuelli, vtpote quia credant ea ſe

tan-

quam validiori tormento demolituros aduerſam ſententiam. Verum experiamur nos,ſi poſſumus illos inde reuellere,adiunctis tamen nobis Hippocra. & Galen. ſociis. Qui ergo adeo obſtinate profitentur ea tantum ex Hippocra. & Galen. decretis ſeſe *κατ' ἴξιν*: & è directo aſpicere, quæ in eadem ſunt longitudine ſita: *ἴξιν*q; longitudinis rectitudinem ſolummodo ſignificare: vt hallucinari ita Galen.& Hippoc.vel non legiſſe,vel illis diligentiam non adhibuiſſe videntur. audiant itaque quid illi de hac reſcriptum reliquerint: vt tandem reſipiſcant. nam, ſi animaduerterint, intelligent *ἴξιν* Hippocra. & Galen. ſignificare rectitudinem inſitu, & poſitu diuerſarum, tum rerum, tum eiuſdem rei partium; & id per omnes ſitus differentias, nec quippiam aliud. itaque, cum aliquid eſt è regione alterius, & è directo, atque per lineam rectam,vel per rectam (vt aiunt) diametrum reſpicit, ſecundum quaſcunque dimēſiones hoc ſit, *κατ' ἴξιν* eſſe dicitur. primo quippe libro operis illius quod *κατ' ἰητρεῖον* inſcribitur, exponens Gale.verba, quæ Græce hoc leguntur modo; *πρὸς ἑωυτὸν δὲ, καθημένῳ μὲν πόδες ἐς τὴν ἄνω ἴξιν. κατ' ἰθὺ γούνασι.* in commentario hæc ait. Nempe non immerito Hippoc. ſuam vniuſcuiuſque ad ſeipſum in ſedendo moderationem ex habitu,quo ſe ſe partes reſpiciunt, definiuit,cum poſcit,vt pedes è directo genuum contineantur,quod bifariam eſſe poteſt: nam aut per longum membrum diſtendimus, aut in altum eleuamus: vnde non ſine ratione addidit in ſuperiorem *ἴξιν*. Conſueuit autem *ἴξιν* rectitudinem, quæ in ſitu eſt appellare. Tertio vero de fracturis, vbi ea verba Græca exponit, *βάλλεσθαι μὲν οὖν χρὴ τὸ ὀθόνιον κατ' αὐθὴν τὴν ἴξιν τοῦ ἕλκεος.* hæc Gale. *ἴξιν* ſemper rectum rei progreſſum appellat,quandoque per corporis longitudinem, nonnunquam etiam per latitudinem, ſicut in hoc loco, ipſe vero Græce ita,

ἴξιν

ἴξιν ἀεὶ τὴν εὐθυωρίαν ὀνομάζει. ποτὲ μὲν τὴν κατὰ τὸ μῆκος τοῦ σώματος, ἔςι δ᾽ ὅτε τὴν κατὰ τὸ πλάτος, ὥσπερ νῦν. Sed, & primo de articulis libro, vbi de brachii luxationibus agit, inquit Hippo. cum vniuerſa manus ad anteriora fuerit extenta, caput brachii *κατ᾽ ἴξιν* concauo ſcoptulæ opertæ reſpondet. Galen. vero exponens *κατὰ τὴν εὐθυωρίαν* dixit. Eodem etiã lib. vbi ſuccurrere docet illis, quibus facilis eſt humeri luxatio, vult, vt cutis apprehendatur. *κατὰ αὐτὴν τὴν ἴξιν μάλιςα, καθ᾽ ἣν ἡ κεφαλὴ τοῦ βραχίονος ἐκπίπτει*, hoc eſt, è regione partis illius, qua excidit caput brachii. Poſſemus alios locos afferre ex primo, ſecundo, tertio, & quarto eiuſdem operis, quibus manifeſtiſsimè licet intueri, quòd *τὸ κατ᾽ ἴξιν*, aut *κατ᾽ ἰθὺ* non aliud ſignificat, niſi rectitudinem in ſitu, vel corporis dimenſione per omnes ſitus differentias, quas ne plus iuſto ſimus longiores, omittemus nunc, & ob id quoque, quia illemet authoritates, quibus illi agũt, hoc ipſum poſſunt monſtrare, quod nuper expoſuimus. Primo enim, cum in pleuritide aſcendit dolor, vena interior brachii rectè loco dolenti reſpondet, non quidem per rectum in longitudine, ſed potius in latitudine, niſi cecutire volumus. Deinde, ſi Hippoc. naturam imitatus, atque eum ſecutus Galen. eas tantummodo, aut reuulſiones, aut deriuationes, aut euacuationes admittunt, quæ *κατ᾽ ἴξιν*, & per rectum fiunt; cum vero dolet capitis pars poſterior, bono eſſe credunt, ſi vena frontis ſecetur, quòd reuellat, euacuet: contra vero, ſi frons doleat, neceſſe eſt, vt credant fieri illud *κατ᾽ ἴξιν*. Cum etiam buboni in inguine dextro occurrunt, ſecta vena ſiniſtri cruris, & laboranti brachio dextro, ſiniſtri. docent præterea poſſe commodè fieri reuulſiones à dextris ad ſiniſtra, ab ante retro, à ſuperioribus ad inferiora, ab intra extra, aut igitur illud

per

per rectum fit, aut à proprio aberrant inſtituto, nec legē, quam ipſi tulere, patiuntur. Et ex his facilè videre vnuſquiſque poteſt, quàm fruſtra Briſſotus laborauerit, ac alii nonnulli ſequaces illius, qui quandam aliam commenti ſunt rectitudinem ab illa, quæ in ſitu, & conſenſu naturali partium corporis poſita eſt, quam ipſi in ratione, & progreſſu fibrarum, vel filamentorum, ex quibus contextæ ſunt venæ, conſtituunt. Res enim ea commentitia eſt; nā, ſi ad hæc filamenta reſpexerint, ne ſcio profecto, quam ſint rationē allaturi, cur directius vena interior ſiniſtri cubiti lienem reſpiciat, q̄ iecur, cum vena lienis à portis iecoris exoriatur, & ſit neceſſum, ſi ſecta vena ſiniſtri cubiti ſit ſanguis per venas, & amplas vias à liene reuellendus, vt illum reuelli putauit Briſſotus, ad iecur primum attrahi. Nec video etiam, cur magis ea vena lienem, quàm iecur euacuet. Et præterea Gale. nullam videtur habuiſſe huius filamentorum progreſſus rationem in commentario aphoriſ. 36. libri ſexti, cum ait ipſe, uel nullam, vel paulo admodum maiorem habere vim venam interiorem prope maleolum, vel exteriorē cedi, vtpote quia ab vno, & eodem ramo diſpartiantur. Rectitudo itaque partium corporis humani in ſolo earū ſitu conſtat, & earum affinitas tum ex inconſpicuis illis meatibus, quibus corpus peruiū eſt, tū ex naturali quodam conſenſu, & propenſione. Cum enim ex natura corpus bipartitum ſit per longitudinem, maior eſt ex earum ſitu inter partes, quę ſunt in eodem latere, tum per meatus, tum per naturalem propenſionem, affinitas, & conſenſus, quàm cum aliis, quæ in alio ſunt latere. Sed, vnde diuertimus, redeundum eſt, vt vnum prçterea nodum ſoluamus, qui occaſione eorum, quę nuper expoſita ſunt, exortus, poteſt animos hæc noſtra legentium turbare. Quia, ſi nos defendimus ſtatim à principio eſſe pleuriticis reuellendi cauſa venam in oppoſito latere ſecādam; id vero

id vero ab his authoribus nõ admittitur, niſi per rectum fiat, cogimur fateri oppoſitum latus κατ' ἶξιν reſpicere affectam partem, quod videtur Galen. apertè aduerſari, qui venam κατ' ἶξιν effectæ partis illam appellat, quæ in eodem latere eſt: cui ex aduerſo eam diuidit, quæ eſt in oppoſito. Reſponderem ego, ꝙ perpetuo, & in vniuerſum verum eſt venam lateris eiuſdem affectum locum directè reſpicere, licet non ſemper eadem ratione. Quia, ſi dolor ſuperiores thoracis partes attingat, rectitudo per latum eſt: ſi vero deſcendat ad præcordia, per longum. brachium vero lateris diuerſi rectè tantummodo eam pleuritim reſpicit, quæ inſidet ſuperioribus coſtis. Quæ vero infernas arripit, oblique: & propterea venam ex eodem latere proprie è directo eſſe dixit, ꝙ illa ſemper directè aſpiciat locum dolentem, non autem ea, quæ ex aduerſo: hæc enim interdum ſolum. Vnde non eſt omnino vna, & eadẽ ratio curæ ambabus adhibenda, ſicut & Hippoc. non eandẽ adhibuit, qui priorem ſecta vena, poſteriorem purgante curauit pharmaco. Quem autem ſenſum habeat id, quod Galen. ait, dum in initio ſunt phlegmone eſſe reuulſorie euacuandum, expoſuimus ſuperius; molimur enim euacuationem circa initia phlegmone, dum illa fit, vt cauſas illius remoueamus, quæ ſunt vel in toto, vel in impellentibus particulis, ideo primum quærimus totum, vel illas euacuare partes, non ipſam phlegmonem. etenim dicebat Gal. & ſi ratio curandi phlegmonas ſit ipſas euacuare, tamen, dum fiunt, antequam vacuentur, oportet cauſas abſcindere. ita tamen quærimus, vt euacuando non conuertamus impetum ſucci euacuandi in inflammatam partem, ſed alio. quare per partem contrariam, & remotam vacuamus, vt in contrarium reflectatur impetus ſucci, qui procliuis eſt in imbecillam, & male affectâ partem. Poſt hæc, ne aliquid relinquamus intactũ, loca primum

ex libro de conſtitutione artis medicinalis, & ex.3. artis medicinalis citata breuibus tamen attingamus. Dein de vero quod de ratione curandi anginam, ac poſtremo inflãmationem iocinoris obiicitur, examinabimus. Itaque locus ex libro de artis medicinalis cõſtitutione nullam ferè, ſi rectè intelligatur, poteſt difficultatem afferre. docet enim ibi rationem curandi phlegmonem factam per euacuationem illius, quod fluxit in inflammatam partem, vt vel ſimplex, & grammatica verborum lectio clariſsimè oſtendit. nam inquit primum Medici ſcopum eſſe euacuationem χύμου τοῦ κατασκήψαντος εἰς τὸ φλεγμένον hoc eſt, ſucci, qui in inflammatum locum decubuit, etenim κατασκήψας participium eſt primi aoriſti, qui vim habet præteriti. Præterea, ſi cum his ea conferas, quę ex. 13. Therapeu. metho. ſæpius citauimus, vbi ait, communis omnium inflammationum ſcopus eſt euacuatio, verum in his, quæ fiunt, ante vacuationem oportet ſanguinem prius cohibere, ne fluat ad inflammatum locum, intelliges Gal. defluxam materiam, & morbum factum hoc loco, vbi primum ſcopum in cura phlegmone docet eſſe euacuationem reſpicere. Quia, dum fit, ſcopus primus eſt defluentem materiam cohibere. Sed & loquendi ipſiuſmet Gale. modus poteſt huic expoſitioni plenam fidem præſtare, cum ſubiungit. Quæ igitur in coxendicem decubuere reumata, per venas in ſuris, vel prope maleolum ſectas vacuantur, quemadmodum etiam quæ in vtero comprehenſa ſunt, ſed quæ in thorace, vel pulmone, per internam cubiti venam; quæ in capite & collo, per humeralem: facillima enim, & optima eſt euacuatio per venas proximas, & communes laboranti particulæ. Nemo non proteruus non videt Gal. hoc in loco eſſe nobiſcũ. Quæ autem citat ex tertio artis medicinalis libro. cap. 99. niſi ob audiantur, illud idem, quod nos expoſuimus, continent. Scopus enim

primus

primus in morbis ex influxu factis eſt,quod influxum eſt vacuare,& hoc,quo fieri poteſt per viciniora,cum fiant ex repletione,quemadmodum etiam. 13.meth.Therap. dixit,ꝙ ſcopus in phlegmone curanda eſt,euacuare ſuccum phlegmonem gignentem,cum vero totum plenum fuerit, illud fieri nequit commode, ni toti prius conſulatur: cui in primis cõſulitur euacuatione,ſi illa fieri poſſit,ꝙ ſi commode nequeat,ſaltem ſi in quampiam partẽ aliam procul reuellatur. Tamen & euacuatio reuulſoria eſſe debet,quia incipientibus cum influxionibus,tum inflammationibus reuulſorie totum euacuare oportet, vt fluxui obſiſtamus. Intercepto vero fluxu,anteq̃ figatur,quod defluxum eſt,deriuandum eſt. Et ad hoc refertur, quod ibidem dixit Gal. ſed,dum fiunt, ante euacuationem inflammatæ partis, obſiſtendum eſt, ne defluat ſuccus in male affectam partem: hoc vero fit, aut reuulſione ſola,aut reuulſoria totius euacuatione. Hęc vero non pertinent ad curam affectus, ſed ad præuiſionem: vnde & Gal. in hoc eodem lib 3.artis medicinalis ca.99.vbi de præuiſione agit, reuulſionis meminit,& eius rationem explicat,& quo differat modo à deriuatione. Quia autem anginæ meminerunt,& ex ratione illam curandi à Gal.& Hippoc.(ſi ille fuit Hippo.) in.4. de acut. vict. inſtituta,non leue videntur ſuæ opinionis iacere fundamentum, ideo nobis quoq; de ea ſunt nonnulla dicenda. Affirmamus & nos eſſe venam humeralem in eodem latere ſtatim ab initio frequentius ſecandam,attamen,ſi eorum reminiſci voluerimus,quæ ſunt à nobis ſuperius expoſita,ratio hæc cũ nobis potius,quàm cum illis conſentit. Nam,vt author eſt Hippoc.& cũ eo etiam Gale. eodem quarto, angina phlegmone faucium eſt,quæ iccirco fit,quia ſuccus à capite,& cerebro ad fauces detruditur. Curatur vero euacuatione delapſi ſucci. quæ cõmodè dum fit phlegmone, niſi obſiſtatur prius

flu-

fluxioni,quæ illi fomenta continuè miniſtrat,vacuari nō poteſt: obſiſtitur aut è remotis cauſis,quæ à parte impel lente petendæ ſunt. Prima igitur,quæ inſurgit indicatio,eſt,partem implentem primum eſſe euacuandam, ita tamen vt alio conuertatur impetus impulſi ſucci, quod optime fiet,ſi per eam partem fiat euacuatio, qua poſsit expedire vacuari locus,vnde impellitur,quare oportet, vt directe illum reſpiciat, & aliquam cum illo communionem habeat. ſitq; præterea quàm fieri poteſt remotior,& contraria laboranti particulæ. A nulla vero vena,quæ ab affecto loco ſit humerali remotior, poteſt caput,& cerebrum cito,& quantum expedit vacuari, ideo humeralem primo ſecandam eligimus: commodè enim caput euacuat. & procul etiam & in contrarium retrahit. & eam potiſsimum,quæ in eodem eſt latere,ob id, quia non modo inflammatum locum rectè reſpicit, ſed etiam partem illam,cui inſidet plenitudo,quæ impulſionem excitat. Natura enim cerebrum, & caput vniuerſum bipartitum eſt in ſiniſtrum,& dextrum,& ſi in inferiora eſt impellendum,frequentius dextrum impellit in dextram partem,& ſiniſtrum in ſiniſtram. ex indicatione igitur non minus partis impellentis,quàm laborantis ſecamus humeralem,ex eodē latere, quia illi & affinis, & è directo ſit. Non dubitarem tamen ego in angina, quando ſuppreſſa menſtrua ſequeretur, aut clauſas mariſcas,à principio mittere ſanguinem ab inferioribus in crure venis: nec crederem eſſe actum contra Galen.aut Hippo. methodum: inſequens indicationem à cauſis,& occaſione fluxionis. nam & hoc videtur ſenſiſſe Galen. in libello Therapeu. de vena ſecanda. quia ergo ea humeralis,quæ in eodem latere eſt,directè reſpicit tam affectum locum,in quem ſit,quàm illum,à quo ſit influxio, & commodè,citoq; poteſt auferre influxionis cauſas, & procul retrahit decumbentem humorem,ideo ſtatim il-

lam

lam ſecamus. Nec tamen propterea confici putamus, vt eadē de cauſa cogamur ſemper ex interna cubiti in eodem etiam latere pleuriticis ſanguinem mittere; nam & cubitus lateris oppoſiti poteſt, quandoque directè pleuritim reſpicere, & pes ex eodem latere; & cauſæ influxionis poſſunt & in iecore eſſe, & liene, & in corde, necnon in vtero, cum menſes ſuis non fluunt temporibus. Immo quæ inferiores inuadit thoracis partes, cum impulſio fiat per venas inferioribus coſtis delegatas, quæ à vena illa ortum habent, quæ exoritur à caua prope cor, nec procul à iecore, facilè ab illis viſceribus ſuam habere poteſt occaſionem, aut à liene, aut ab vtero, quæ vero ſuperiores coſtas, poteſt quidem à capite, ſed poteſt etiā à ſuppoſitis, poteſt ab oppoſito latere, cum ortus venarū vtriuſq; lateris adeo ſit vicinus, & alter è regione alterius, vt magis eſſe nequeat, quod raro ita in aliis venis reperitur, & ideo ſecundum variam impellentium rationē vario modo, & in variis locis ſecanda eſt vena, dummodo illa, ſi fieri poteſt, rectè aſpiciat tam locum affectum, quàm cauſas influxus, & propulſionis, iuxta variam corporis, & diuerſarum partium plenitudinem. Hoc tamen obiter nunc dixerim, quod obiter nunc, dum ea, quæ de angina dicebantur, perpenderemus, occurrit, non modo, ſi Gale. ſequamur, veram eſſe reuulſionem, quę eſt in contrarium motus delati ſucci, ſed etiam, quæ in contrarium locum, vel membrum detrahit. venas enim humerales in angina ſecamus reuulſionis cauſa quarum ſectio non in contrarium motus materiæ decumbentis in phlegmonem attrahit, ſed potius in membra contraria, cōtrarietate, quæ in longitudine eſt. Si enim plurimum angina ortum habet ex depulſione materiæ à cerebro in fauces; motus is à ſuperioribus eſt ad inferiora, cui conformis potius eſt attractio per venam humeralem, vtpote quę à ſuperioribus ſit ad inferiora, quam contraria, ea tamen ratio-

ratione,ꝙ ad loca contraria retrahat, reuulſio meretur
dici. Poſſumus vero hoc idem multis Gal. authoritati-
bus monſtrare. & primūm ex expoſitione loci illius,quē
primum ex.6 Epidem. Hippoc. commentariorum vero
Gal. 2.citauimus vbi ait Hipp.quæ diſsimilia ſunt,ſi ſur- »
ſum delata repant,&c. Gal. diſsimiles appellari intelli »
gamus eos qui,incōgrui ſunt,& inepti locis illis,in qui- »
bus ſunt,vt illi ſermo hac parte ſit de prima affectus ge »
neratione,qui iubeat ſtatim ad loca contraria reuellere, »
& reliqua. Dum etiam ſinciput dolet,vena frontis inci- »
ſa remedio eſt,& ea,ſi Gal.credimus,reuulſio eſt: retra-
hit vero ad locum contrarium,non ad contrarium mo-
tus: cur enim dolor ille fiat ex delatis ſuccis ab anterio-
ribus ad poſteriora potius,q̃ ab inferioribus ad ſuperio-
ra? & præterea ea vena non eſt ſecanda,niſi ſedato mo-
tu,et corpore facto vacuo ex ſecta prius humerali vena.
Sed quāplurima poſſemus ex Gal. his cōformia adduce
re,quę cōſultò breuitatis cauſa p̄terimus: & quia ſunt ēt
magna ex parte in ſuperioribus recitata. Nec admodum
ēt fuerit difficile id ſoluere,qđ ipſe,vt ſuā aſtruat ſenten
tiā,affert. Nā ipſe,qui omni ope defendit ſtatim à primis
exordiis in vteri inflāmatione eſſe venā ſecandā prope
malleolū,vel poplitē,cogitur fateri eā eſſe reuulſoriā ſi-
quidē initiis inflāmationum reuulſoria debetur euacua-
tio. Nos vero,qui conſulimus à principio venā in cubito
ſecari ob reuulſionem,dicemus venas poplitis ſanguinē
quidem contentum in vtero reuellēdo,ad loca quoquo-
modo contraria poſſe detrahere,vt paulo ſuperius Gal.
in lib. de conſtitutione artis medicinæ dicentem audiui-
mus: illum vero,qui in toto eſt,& impellentibus parti-
bus,ita non ad loca contraria reuellit,vt potius ad vte-
rū conuertat: neque enim alioquin cieret menſes. Qua-
re,& ſi ea ſit aliquo modo reuulſio,nō ea tamen eſt,quæ
cōgrua ſit incipientibus inflammationibus vteri, quem-

H admo-

admodum congrua eſt reuulſio per venas in cubito ſectas, vnde hanc reuulſionem, illam deriuationem Gale. appellauit. Vltimo tandem loco in libris Gal. ꝙ ego legerim, nihil reperiri poteſt, quod illi ſectæ maioré poſſit fauorem præſtare, nobis vero contra maiorem difficultatem, quàm formula curandæ inflammationis ipſius iecoris à Gal. tanquam aliarum exemplar propoſita. in lib. 13. metho. medendi ideo non eſt ea ſicco pede, & leuiter prætereunda, ſed rectè, & diligenter examinanda. Sed illum iam audiamus loco præcitato dicentem. Supponamus igitur iecur inflammari cępiſſe: &, ſi quis quęrat quænam ſit futura optima huiuſce rei curandi ratio, per ea omnia, quæ diximus diſcurrentes dicamus, conſiderandum prius, ſi corpus vniuerſum egeat euacuatione: ꝙ ſi cognouerimus egere, perpendendum deinde, ſi vires eam multam, & ſubitam ſufferre poſsint? & quibuſdam interpoſitis ſubiungit, ſanguis euacuandus eſt, qui ad iecur defertur, ſecta interiori vena in cubito dextro. Ecce tria hęc deſcribit; totius plenitudinem, fluorem ſangninis, principia inflammationis, quibus ita ſe habentibus ſecat venam interioré in dextro cubito proximè, & in eodem latere iecur reſpicientem: id quod efficax admodum videtur argumétum pro eorum opinione. Ego tamen ſum iſtius ſententiæ, ꝙ, & ſi locus is videatur primo aſpectu illis plurimum fauere; tamen, ſi quis diligentius, & interius rem hanc rimari voluerit, noſtram magis, quàm illorum opinionem corroborat. Si enim rectè animaduertas, hæc duo ſunt theoremata. Alterum, ſi cœperit iecur inflammari, corpus vero plenum fuerit, vena interior cubiti dextri ſecanda eſt; alterum, ſi dolor pleuriticus fuerit moleſtus, isq; ad clauem, vſque pertingat, vena interior cubiti lateris illius, quod dolet, ſecanda eſt. Quæ theoremata non ſolum hac parte diuerſa ſunt, ꝙ ſunt inflammationibus partium diuerſarum

peculiaria,ſed etiam,quia adeo habent differẽtes rationes,quibus innituntur,vt diuerſa etiam exigant tempora,quibus ſint illis morbis accommodanda. Quòd autem res hoc modo ſe habeat probabimus ex his,quæ ab Hippocr.& Galen.de re hac ſcripta ſunt, tum rationes, quas explicant,tum modum loquendi in vtriuſque examinantes. Scopus enim theorematis ſecũdi eſt, ſuccum in laborante particula defluxum, & receptum, euacuare. Scopus vero primi eſt,defluentem ad iecur reuellere,& euacuare,non quidem à iecore: dum enim defluit, nondum in iecore receptum eſt,vt inde euacuari oporteat,ſed ab impellentibus particulis, quare hoc theorema reuulſionem comprehendit; illud vero potius deriuationem. Sed hæc,quæ à nobis dicta ſunt probari oportet ex fundamentis ab Hippoc.& Gal. acceptis. Itaq; Hippoc.cum proponit docere rationem curandæ pleuritidis,præcipit,vt,cum dolor aſcendit ad clauem,vena cubiti ſecetur,cum vero deſcendit ad præcordia,medicamentis aluus ſoluatur: & huius diuerſitatis rationem referens Gal.in commentariis ait: Scopum eſſe citiſsimè,& plurimum ſanguinem,aut ſuccos alios ex laborante particula detrahere. cum ergo dolor aſcẽdit, ſignum id eſt morbum ſupremam thoracis partem occupaſſe,& cum interior vena in cubito proxima ſit venæ,quæ in aliquos ramos partita deſeruit ſuperiori thoracis parti: ideo ea ſecta facillimè poteſt ſtatim ferè euacuari pars ea,quæ laborat. Vnde etiam permittendum eſſe ait ſanguinem defluere,donec eius color mutetur. id enim argumento eſt totum ferè detractum eſſe,qui in phlegmonem,vel circa ipſam defluxerat. Cum vero deſcenderit gratior illi eſt medicamentorum vſus; quia tunc inferne thoracis partes inflammantur,quarum venæ aliunde ortum habent,quàm illæ,quæ ſunt ſupernæ partis: à caua enim vena prope cor, deriuantur venæ, quæ alimentum

infernis partibus thoracis diſtribuunt; & ideo magis ab eis venà cubiti abeſt, & maius intercidit interuallum, adeo vt cor medium interiaceat, vnde euacuationis beneficium, quod expoſcit locus morboſus ab huiuſce venæ ſectione minus eſt, & tardius, & cui non plurimum fidat Hippoc. Sed ſi interuallum maius, & cor in medio interceptum, tantam vim apud Hipp. habuit, vt perſuaſerit illi relicta venæ ſectione, magis eſſe fidendum medicamento ſoluente, quid credimus deinde illum iudicaſſe in inflammatione iecoris? in qua longè maius eſt interuallũ: & non ſolum cor intercidit inter iecur, & venã cubiti interiorem, ſed ſeptum ipſum trãſuerſum, cui duæ venæ non exiguæ à vena caua delegatæ ſunt, & cor deinde, & prius quoq; venæ, quæ coſtas inferiores, & vltimo loco, quæ ſupernas coſtas alunt. Non potuit profecto iudicaſſe, niſi ꝙ languidisſimum, & tardisſimũ poterat particula inflammata ex ea venæ ſectione expectare, quantum attinet ad defluxum ſanguinem: ſed, quantum ſpectat ad defluentẽ, celerrimum, & maximũ: quia defluxus prouenit ex propulſione fortiorum partium, ad imbecilliores: principes autem partes in animante, aliis natura fortiores ſunt: inter quas, cor aliis omnibus vim habet maiorem. Itaq; cum iecur laborat defluxorio morbo: quia inter principalia mẽbra numeratur, plurimũ ex impulſione cordis hoc euenit, vnde ſtatim à principio vena dextri cubiti ſecanda eſt; quia prius cor euacuat, vtpote quæ illi propinquior eſt, q̃ iecori, & ſanguinem deſcendẽtem ſurſum, & in contrarium retrahit. Quare ſumpta indicatione, & ab impellente particula, & à motu reuellẽdi ſucci, ſtatim à principio laudanda eſt ſectio venæ in cubito dextro. Cum enim ratio reuulſionis exigat, vt procul, & in contrarium conuertat impetum ſucci moti, remotiſsima eſt ea vena à iecore, & illi etiam contraria: quomodo media ſunt extremis contraria. Iecur enim ſe

rè mediam regionem totius corporis occupat: & ſi bene aduerterimus nulla ferè remotior eſt vena, ex his dico, quæ ſecari conſueuere, q̃ venæ cubiti, vel manus; non.n. magis multo diſtat genu, vel pes, à iecore, q̃ cubitus, & manus. eſt etiam contraria contrarietate medii ad extrema. Iecur enim iuxta longitudinem cubitò, contrarietate tamen, quę eſt inter medium, & extrema, contrarium eſt. In pleuritide vero vim magnam habet ſectio venæ in cubito lateris morboſi, ſumpta indicatione non ab impellẽte particula, vel à defluxu ſucci, ſed a morboſa, recipienteq́; , & a defluxo ſanguine; quare ea non eſt ita primo principio apta, ſed potius (vt ſæpius diximus) cum defluxa materia eſt, & viget inflammatio, eo modo accepto vigore, quo ſuperius expoſuimus. Quòd ſi quis quærat, ſi ergo iecur medium locum occupat, & venæ prope genu, vel talum, ſi non magis, ſaltem nõ minus, ab eo diſtant, & per viam non minus amplam, & directe etiam illud reſpiciunt, cur potius ſecat Gal. venas in cubito, q̃ in tibiis? dicam ego, ꝙ ſemper locus, per quem fieri debet euacuatio, indicatur a parte, quæ euacuanda eſt, cum ergo in principio euacuandæ ſint impellentes particulæ, vt ſubtrahatur impellendi occaſio: impellentes vero particulæ ſunt ſuperiores, vt cor: a quo, quemadmodum ſupra dictum eſt, imprimis ad iecur quod etiam præcipuum membrum ſit, impellitur. Ideo in primis ſecandæ ſunt ſuperiores venæ. Quòd ſi vitio cuiuſpiam inferioris particulæ fieret iecoris inflammatio, vtputa ſuppreſsis menſibus muliebribus, aut clauſis mariſcis fluere conſuetis, non dubitarem ego hic etiam ſtatim venas interiores ſecare, inſequens, ſcilicet indicationem ab impellente particula. Cum hæc igitur ita ſe habeant, mea quidem ſententia claudicat argumentum eorum, qui ob id, quòd Galen. iubeat ſtatim a principio corpore etiam pleno, ſi iecur inflammetur, ſecari venam cubiti de-

per fuerit defenſor ſententiarum Hip. vt quicunq; ex antiquioribus Medicis, à decretis Hip. aut receſſerint, aut illis aduerſati fuerint eos omnes inſectatus ſit apertiſsimè, vt Aſclepiadem, Heraſiſtratum, Archigenem: & legamus apud Aetium, Archigenem cõſuluiſſe, quando dolor acutus eſt in pleuritide, qui ad clauem, vel mammam aſcendat, venam ſecandam in cubito oppoſito: id quod, ſi iſtis attẽdamus, videtur directè aduerſari Hippocratico decreto in. 2. vel. 4. de victu morborum acutorũ, mirum eſt à Gal. nullam hac de re mentionem factam eſſe, qui leuiori etiam de cauſa Archigenem ſæpe carpſerit. Sed quid dicam de Aetio, & Oribaſio? nam Oribaſium videtur Aetius omnino imitari: immo ſua omnia ex Oribaſio deſcripſit, & in compendium redegit, qui palmam inter cæteros Medicos Gal. deferunt, videnturq; & Gal. Hippo. q; legiſſe, ſi quæ de pleuritide ſcripſerunt, perſpexeris, & tamen nulla huiuſce diſcrepantiæ habita ratione, authoritate Archigenis, innixi, profitentur venam eſſe ſecandam in cubito oppoſito lateri dolenti. Vix poſſem ego adduci, vt credam hãc rem potuiſſe vel hos, vel Gal. occluſis oculis prætetire, ſi iudicaſſent, hos authores ſententiis hac in re fuiſſe contrariis, aut Aetium, Oribaſiumq;, relicto Gal. potius adheſiſſe Archigeni. Siquis enim modum, ſeriemq; verborum vtriuſq; authoris diligenter perpẽderit, profecto videbit, eos diuerſa theoremata, & illa non inuicẽ repugnantia proferre, ſed quæ ſibi inuicem optime conſentiant, ſiquis ea propriis, & locis, & tempori, accommodauerit. Archigenes enim ſtatim à principio cum influit materia venam ſecat, vt eam quidem euacuet, ſed magis etiam vt reuellat, Hip. vero. 2. & . 4. de victus rõne in acutis magis, vt euacuet, quàm vt reuellat, & cum vel omnino, vel magna ex parte influxerit: quod mũſtrare poſſum ipſorummet authorum verbis: Hip. enim ſemel quantitatem multam ſanguinis

detrahi iubet,& eam ſimul,& eadem venæ ſectione, vt qui voluerit expectari,vt color ſanguinis mutetur: Archigenes vero pręcipit partiendam eſſe miſsionem ſanguinis,vt minus, ſæpiusq; mittatur: quod fieri maximè conſueuit à Medicis(cum potiſsimum reuulſionem quęrunt,vt Galé.docet) ſicut multum ſanguinem mittimus, cum quærimus materiæ defluxæ iam (vt iuniores aiunt) eradicationẽ. Non erit præterea res admodum operoſa rationibus reſpondere,quibus nititur ſuũ fulcire dogma. Primam enim ego concederem. puto nãq; ab Hip. & Gal.aberrare qui volunt ſecandam eſſe venam in cubito oppoſiti lateris,cũ dolor tentat infernas thoracis partes, & ad præcordia declinat; etenim nulla eſt inter venam illam,& affectum locum rectitudo; quam tamen obſeruandam illi ſemper voluere. Dum modo non propterea deinde velit etiam concludere eam,cum dolor aſcendit,non conuenire,vel ꝙ non ea quoq;, quæ in cruribus fit maximè deſcendente dolore: immo quandoque indè magis competit ſanguinis miſsio,q̃ è cubito; quando.ſ.plenitudo ſucci, vel vniuerſum corpus æqualiter detinet,vel q̃ maximè infernas partes: cum vero maximè ſuperiores, ſatis eſt ſanguinis è cubito in eadem parte detractio,cum & rectè phlegmonem reſpiciat, & interuallum inter illam,& inflammatam partem non exiguum ſit: immo tantum,quod cõmodè poſsit reuulſioni ſatisfacere,niſi multa ſit totius corporis,& inferiorũ partium repletio: tunc enim tutius eſſet venas poplitis, aut inferiores incidere. Secundæ ſuperius,ni me mea fallit opinio, ſatis reſponſum eſſe exiſtimo. Quia tamen in nonnullis deficere videtur hoc loco; ideo nonnulla ſunt illis,quæ ſuperius explicauimus, addenda. Quippe dicimus Medicum inter morbi initia debere nõ modo eorum habere rationem, quæ defluxa ſunt in inflammationẽ,aut in venas,& arterias illi vicinas; verum & eo-

rum

rum,quæ in vicinas à remotioribus defluũt: immo prius horum,quàm illorum: nec etiam horum tantum, ſed & eorum,quæ tametſi in præſentiarũ non moueantur; poſſunt tamen leui occaſione oblata moueri,vtcunq; modo ea ſint propinqua,vel remota,qualia ſunt multa in corpore,quod ſit plus iuſto plenum. Auctis enim dolore,et febre,illa exagitata delabuntur ad morboſam partem. Immo & hoc dixerim,quod neq; Briſſotum latuit, ſæpe corpora, quæ moderatè ante morbi inuaſionem ſe habent,cum laborare cœperint, grauantur ſuccorum mole,quæ & ſi antea non eſſet immodica, tamen, cum vires ex morbo imminuantur,id ipſum onus,quod facillimè, dum corpus valeret, adminiſtrabant, ægre deinde ferre poſſunt. Itaq;, cum omnia hæc peculiariter aliquid indicent,plurimum mihi peccare videntur,qui ex ſola indicatione materiæ ad vicinas partes, vel in inflammationem defluxæ, credunt refellere venæ ſectionem in latere oppoſito, vel tibiis; quaſi aliorum nulla ſit ratio habenda, quæ ontinuè defluunt ad vicinas venas, & arterias: & eorum,quæ,quamuis tunc non fluant, poſſunt tamen facilè moueri. Cum etiam dicit nos minimè ſcire poſſe,vnde ſucci defluant, & à qua parte, an à remota, vel à vicina, mihi videtur à ratione boni, qualis ipſe habetur, & eſt, Medici deficere. Primo, quia, ſi cauſæ reumatis, vel fluxionis ſunt, aut multitudo, aut malitia ſuccorum, ſi quis cognoſcere non obſcuris etiam poteſt argumentis, in corpore adeſſe plenitudinem,aut (vt Græci aiunt) cacochymiam,& in qua etiam parte ea ſit, is,quoq; noſcet,vnde ſibi periculum immineat, & vnde cauendum ſit. Poteſt autem peritus Medicus hæc omnia cognoſcere,& ex laſsitudine aut totius corporis,aut partium,& ex colore,tumore,grauitate,venarũ repletione, & multis aliis,quorum doctrinam legitimi medicinæ autores exactiſsimè tradidere. Sed eſto, vt ille inquit

ea,

ea cognoſci non poſsint: at, cum in dubiis ſemper tutior, & certior via eligenda ſit: vis autem ferè vniuerſa Medici in initiis morborum, qui fluxionem cauſam habent, in reuulſione eſt: quare ea reuulſione agendum eo tempore, qua vndecunque repant ſucci, procul, & in contrarium reuellantur, ſicuti fit, cum vena remotior à particula morbo expoſita ſecatur. Tertia quoque ratio nobis nihil obſtare videtur, qui ex profeſſo ſuperius aſſeruimus venam ſemper eſſe ſecandam è directo laborantis partis, ſiue reuellere, ſiue deriuare, vel quouis modo euacuare voluerimus. Hoc tamen addidimus, ꝙ & lateris oppoſiti cubitus ęque, ac ille, qui ex eodem eſt latere, directè reſpicit pleuritim, quę ſupernis coſtis inſidet: ac etiam crus lateris eiuſdem. alioquin enim non video quo modo Gal. eſſet admittendus, cum conſulit. 2. ad Glauc. lib. à coniugatis eſſe mittendum ſanguinem laborantibus membris extremis, cum vel deriuare, vel reuellere volumus, ſi Medico ſit ſemper natura imitanda, quæ è directo ſemper cum vtilitate euacuat, & criſim facit, & ea tantum, quæ ex eodem ſunt latere, ſe directè dicantur reſpicere. Quartæ etiam rationi non erit arduum reſpondere: concedimus enim venam in latere eodem, cum dolor aſcendit ad clauem, ſi ſecetur, plus & euacuare, atq; etiam diuertere à loco læſo, quantum ad eos ſuccos attinet, qui iam vel inflammationem, vel vicinas partes occupant. Sed alios, qui aliunde, tum defluunt, tum defluere poſſunt, adeo non reuellunt, vt potius verſus locum illum, vt ſuperius oſtẽdimus, moueãt; neq; vim vllam, vel ſi quam, eam tamen leuem habet, vt cauſas fluxioni auferat. Ad quintam verò reſpõdemus, q̃, ſi pleuritis ortum haberet ex defluxa à capite in pectus materia, reor, ꝙ rectè conſuleretur, ſi ſumpta indicatione à plenitudine partis impellentis, & demandãtis, vena quidem in eodem latere, ſed nõ interior in cubito,

verum potius exterior, vel humeralis, quæ vicinior eſt, affiniorq; capiti, vnde prima prodit indicatio, ſecaretur. Vbi prætereà illud eſt aduertendum, ꝙ caſus hi particulares non obſunt Medicis theorematibus vniuerſalibus; niſi etiam, quia aliquando nulla opus ſit venę ſectione in pleuritide, quod ſuperius oſtendimus, vellemus contendere non eſſe canones medicorum admittendos, qui conſulunt venam ſecari. Ad id quoq;, quod in ſexta ſupponitur, facillimè reſpõderem, ꝙ, ſi priores ſunt indicationes, quæ à cauſis fluxionis exurgunt, & eas ſequitur rationalis Medicus; crederem ego auſpicari oportere à vena directè potius partem eam reſpicientem, vnde fit impulſio materiæ morbum facturæ, quàm ab ea, quæ locũ affectum reſpiciat. Quare putarem primũ ſecãdam venam humeralem lateris illius, quod pleuritidi eſt oppoſitum, qua facilè poterit fluxioni obuiari, poſtea vero, internam cubiti lateris eiuſdem, vt, quod defluxum eſt, vel in inflammationem, vel vicinas particulas, inde reuellatur, & euacuetur, nec memini me legiſſe in Gal. aliquid, quod huic ſententiæ aduerſetur. Septimæ vero rationi reſpondiſſe videtur Gal. in commentariis libri de ſalubri victu, vbi ait, ꝙ quotieſcunq; ſcopus eſt id, quod alicubi collectum exuberat, vacuare per eam partem ducendum eſt, in qua ſponte ſua ſuccus vergit, ꝙ, ſi prohibere voluerimus, ne ibi colligatur, & exuberet, non per eã, inquam, ſponte vergit, ſed per contrariam detrahẽdum eſt: qua de re cum ſatis ſit in ſuperioribus ſermo habitus, nunc ſicco alioquin pede eam hic præteribimus. Cũ autem ipſi Auic. authoritatem non multi faciant, nobis vero propoſitum ſit tantum rimari, quæ ſenſerint Hipp. & Gal. ideo miſſam quoq; octauam rationem faciemus. Sed videamus quomodo ipſe rationibus ſibi ab aduerſariis obiectis rectè reſpondeat: nam in prima reſponſione non mihi ſatisfacit: cuius vis in hoc erat ſita, ꝙ, cùm

duplex ſit indicatio in phlegmone,quæ ſit,altera ex defluxa materia,& facta morbi parte, altera à fluente, & parte futura, primæ curatio debetur, quæ fit per detractionem ſanguinis à proximis venis: quemadmodum à vena interiori cubiti in eodem latere, cum pleuritis inuadit. Secundæ vero præuiſio, quæ procul ſuccum, & in contrarium retrahit. Cum itaq; priorem in libro de acutor.morb.victu Hip.explicauerit,nec illa abſq; altera rectè poſsit peragi,ſupponit illam quoque,prius fuiſſe rectè peractam. Ipſe autem reſpondet triplicem eſſe materiam; Alteram, quæ à remotis partibus in vicinas defluit; Alteram, quæ in vicinas delapſa, agumentum phlegmone miniſtrat: Tertiam,quæ in phlegmone continetur: Primas quidem inhibēdas,ne tandem in inflammationem ferantur,& eam maximè, quæ vicinas occupat phlegmone partes: ea enim diuertenda prius eſt,atque etiam euacuāda,antequam moueatur,quæ in phlegmone eſt: & his credit eſſe ſatisfactum rationi illorum. Non animaduertit autem, ꝙ ea materia, quæ à remotis partibus in vicinas fluere parata eſt,quæ non exigua eſt, cum conſpicua corporis adeſt plenitudo,ſed etiam ſi exigua eſſet; tamen,cum morbus validus,& acutus eſt, illius plurima eſſet ratio habenda, ita vt ſæpiſsimè illius indicatio aliis præualeat, quia ſi repletio partiū vicinarum à remotarum propulſione pēdeat, primum obſiſtendum eſt fluxioni,quæ à remotis eſt, vel eſſe poſsit; quia illa occaſionem repletioni vicinarum præſtat: cui obſiſtitur totius vel repletarum partium euacuatione, reuulſione vero à loco affecto. Sed,cum,vt reſpondeat obiectioni,quam ipſe contra ſe ipſum format; quæ huiuſcemodi eſt,non fit reuulſio à dextris ad ſiniſtrum, cum aliquid hoc fieri vetet,in pleuritide nihil vetat. dicit eſſe aliquid,quod hanc reuellendi rationem vetat in pleuritide: magis enim vrget,vt locus dolēs euacuetur, iccirco,

co,vt dolor ſedetur,qui in cauſa eſt,vt ſucci ad phlegmo nem trahantur, &,vt materia phlegmone vicina ab ea auertatur,oblitus videtur illius,quod in.13.lib.Therap. metho.legerat,quem locum ſuperius quoq; citauimus. vbi ait ipſe,ꝙ,& ſi quandoq; prima inflammationis occaſio à parte laborante exoriatur; tamē,quod totum eſt in phlegmone,ab aliis ſuperpoſitis particulis proficiſcitur. nam,ſi aliæ partes prius euacuentur,vel nihil dolēs locus,vel parum admodum attrahere poterit; quare, ſi attractioni obſiſtēdum,quę vi doloris fit in initio inflam mationis,curandum potius,vt primum impellentes par tes,antequam locus dolens euacuetur.Cum etiam,vt ra tionem ſecundam,quæ ratione reuulſionis innititur effugiat,contendit oſtendere deriuationem non eſſe remedium,quod debeatur influxæ materiæ,ſed fluenti;& prę terea,ꝙ non ſit neceſſarium ſemper,vt reuulſio deriuationem præcedat,vt non rectè ſentire videtur,ita neque rationem ſoluit.nam neſcio profectò,quomodo ipſe negare audeat deriuationem eſſe remedium,quod cōgruat defluxæ iam materiæ,anteq̄ figatur,cū Gal. clara etiam voce,illud prædicet,vtcūq; modo fluxa ſit vel in phleg monem,vel in vicinas partes. Atq; etiam,ꝙ ſemper cū vehemens,& multa fluxio eſt,qualis ſolet eſſe in acutis morbis,reuulſio ſit præmittenda deriuationi,ſi id fieri po teſt. nam quandoq;, ſi reuulſione nequimus,inquit Gal. in commentario.6.Epidemiorū lib.deriuatione vtimur. Sed,vt diximus neque his ſoluit rationē: in initio.n. reu maticorū morborum,ſi Hip.& Gal.ſequamur,primo euacuandū eſt totum ipſum,atq; impellentes partes,& re uulſorie euacuandū,igitur per contrarias partes,& procul,cū id rō reuulſionis expetat,deinde vero locum affe ctū aggredi opus ē, & partes proximas,id vero late ſupe rius probatū eſt,& rōnibus,& Gal. Hip.q́; authoritatibus propriū,peculiareq́; remediū initiis,cum fluxionis,

tum

tum inflammationis eſſe reuulſionē. Sed tertiæ quoq; rationis vim diſsimulare, ne dixerim non intelligere, videtur: quæ innixa authoritati Gale. 13. Therap. metho. præcipientis reuulſionē fieri ad longiſsima, probat non eſſe venam à principio in eodem latere ſecandam. Ipſe vero concedit reuellēdam eſſe materiam ad remota, & eſſe ſecandam venam, q̃ remotisſimè fieri poſsit, modo per eam & reuelli, & euacuari posſit ea materia, quę reuellenda, & euacuanda eſt, illa vero ea eſt, quæ tum in loco affecto, tum in partibus vicinis cōtinetur: at illa in pleuriticis non reuelletur, nec quantum opus eſt euacuabitur per venam lateris oppoſiti, ſicut per eã, quæ in eodem eſt latere. Qua parte peccat; quia inter morbi initia pleno corpore, aut aliis ab affecto viſcere partibus, antea q̃ materia, quæ morboſam, vel vicinas partes replet, aut auertat, aut euacuat, cura plenitudinis totius, vel partium aliarum habenda eſt. Cũ ergo Curtio met teſte, iccirco in pleuritide ab Hipp. & Gal. introducitur ſectio interioris in cubito eiuſdem lateris venæ, vt reuellatur, & euacuatur, qđ in phlegmonem, & vicinas phlegmone partes delapſum eſt, cogitur ipſe fateri prius aliqua ratione plenitudinem cum totius, tum aliarum partium eſſe auferendam: nec modo hoc eſt neceſſarium, dum corpus immoderata plenitudine fuerit repletum, ſed cum etiam moderatè ſe habuerit, vt voluit Gal. eodẽ 3. metho. Therap. cum vero fieri melius nequeat, q̃ ſecta vena; erit igitur alia ſecanda vena. Et cum eodem libro idem Gal. quo docet loco methodum curandi corporis potius, aut partium aliarum plenitudinem, conſulat imprimis reuulſioni inſiſtere; quia illa ſit commune omnium præceptum, illa non erit quærenda vena, quę ſuccos in phlegmonem, & vicinas partes delapſos euacuet, & reuellat, ſed quæ remotiores partes euacuat, & procul à laborante, & vicinis illi partibus ſuccum conuertat,

tat,quales venæ ſunt,quæ procul,& contra inflãmationem ſitæ ſunt,& hos duos reuellendi,& euacuandi modos; hunc.ſ.vniuerſalem,qui totum in primis reſpicit,et illum,qui locum affectum,& partes illi proximas, tum alibi Gal.expreſsit,tum vel maximè.2.lib. commentariorum. in 6. Epidemiorum loco ſuperius à nobis citato, vbi primam Hippocr.authoritatem introduximus in fauorem partium noſtrarum: prope enim finem illius commentarii ait,ſtatim ab initio reuellere opus eſt. ac deinde,quæ horum contraria ſunt,aggredi; quod eſt localiter euacuare: quod ipſe deinde exemplo doloris partis poſterioris capitis,qui ſecta vena frontis tollitur,exponit: quæ & ſi reuellat,& euacuet locum affectum, & vicinas illi partes, aliam tamen priorem expoſcit, vniuerſalioremq; euacuationem,vtpote ſecta humerali vena. Nec reflexio illa rationis accepta ab angina,& oculorum morbis,quòd illi ſecta humerali vena, non poplitis curentur,vim habet plurimam. hi enim morbi plurimum ex defluxione, quæ capitis plenitudinem cauſam habent,oriuntur: & de his, quantum ſatis erat, dum de angina loqueremur,ſermonem habuimus,& ideo dimittemus nunc. quæ enim ad quartam attinent rationem, plus ſucci videntur habere. Itaq; quarta ratio ex loco à ſimili erat deprompta. Si enim phlegmone crus dextrum inuaſerit,iubet Gal.ſecari venam in ſiniſtro: igitur pleuritis dextri lateris curanda eſt ſecta vena in ſiniſtro. Ille vero reſpondet in phlegmone inguinum eam venam ſecari nolunt Medici, quæ in eodẽ crure ſit, quia nunquam inter initia venam in laborante membro ſecare licet,ſed in alio quanto fieri poteſt vicino,modo ea magna ſit: pleuriticis vero in cubito ex latere affecto ſecari poteſt; quia illa non eſt in laborante membro, ſed in vicino. Eam vero potius,quàm oppoſitam eligunt ea propter, quia illa à loco læſo materiam educere poteſt:

quod

quod maximè, & omni ope in initiis quærimus. Contraria autem, & ſi aliquantiſper reuellat; non tamẽ eam vim habet, vt poſsit è loco affecto quidpiam educere. At in cruris inflammatione, & ſi ſanguinis detractio ex oppoſito crure à loco morboſo non admodum educat; quia tamen aliquantiſper reuellit; & interdictum eſt ſecari venam in laborante parte, ideo in altero, & oppoſito ſecamus; vt è duobus id, quod minus malum eſt, faciamus. Sed reſponſio eandem patitur, quam priores calumniam; quia, etſi verum ſit, quod docuit Gale. locis ſuperius ſæpiſsimè adductis, ꝙ ſcopus, ac totum ferè momentum in curãdis inflammationibus eſt detrahere materiam ex inflammato loco: res tamen hæc, & ſcopus is differendus eſt in his, quæ fiunt tantiſper, donec toti, & partibus illis conſulatur, à quibus cauſæ proficiſcuntur defluxionis, quæ inflammationem parit. Quare anteq̃ vena ea pertundatur, quæ plurimũ detrahit, è loco morboſo, alia quærenda eſt, quæ poſsit influxioni obſiſtere; cauſis, quæ vel in toto ſunt, vel in impultrice parte, remotis. Præterea huic viro, qui maximè, eſt Galenicæ doctrinæ profeſſor, res hæc erat abſolutius reſoluenda: nã primo aſpectu non videtur ipſe ſibi ipſi Gal. conſtare. Si enim in 2. lib. ad Glauc. in vniuerſum iubet in affectibus membrorum extremorum à coniugatis ſanguinem mittere. 13. meth. Thera. in bubone cruris dextri ſanguinem ex ſiniſtro detrahit, illud idẽ erat in brachiis, & manu ſeruandum. Attamen laborante deinde genu ſanguinem à vena cubiti in latere morboſi affectus mittit, id ipſum etiam lib. 2. commentariorum in. 6. Epidem. facit: inquit enim ſi in tibias, vel pedes fluor decubuerit, ſanguinem è venis in cubito mittremus. 13. autem de meth. curandi morbos in brachiorum inflammationibus venas petit tibiarum; cum tamen laborantibus bubone cruribus, venas oppoſiti cruris incidat, erat igitur illi hæc diſcre-

ſcrepantia tollenda, qui à Gale. ne tranſuerſum quidem (vt aiunt) vnguem diſcedere profitetur. Erat etiam prętereа hoc addendum, cur, cum frequentisſime accidat in bubone, vt, ſi quę vena illi vicina non admodum parua ſit tota tenſa, dolensque ſentiatur; hoc vero non niſi ea de cauſa ſit, qua in dolore pleuritico clauis, & brachium ſit doloris, aut grauitatis particeps Vnde ſicut dolor ad claуem, vel brachium vſq; pertingens, argumẽto eſt, ſuccos in eam partem vergere, & momentum habere; ita etiam tenſio, & dolor venę illius buboni propinquę in eam partem ſanguinem habere propenſionem indicat: cumque præcipuum fundamentum iſtorum ſit, cur ſecanda ſit vena cubiti ex latere eodem dolore aſcẽdente, ſemper eſſe inſequendũ naturæ motum, ſi ille commode fiat: cur ergo in bubone non eſt etiam vena iuxta talum aperienda, cum videantur ſucci in inferiora dirigi, illius eiuſdem potius partis quàm alterius oppoſiti? Nam id quod ipſe cõmentus eſt, vt laqueum effugiat, vt non eſt omnino verũ, ita nodum minime diſſoluit. Quia, ſi ſanguinem nunquã in principio liceret ex aliqua parte mẽbri laborantis mittere, non liceret etiam venam in fronte, cum capitis dolet pars poſterior, in principio pungere. Dicit tamẽ Gal. in libello de ſecanda vena, quòd ea eſt euacuatio, quæ & incipientibus congrua ſit, & vigentibus morbis. Neque hoc prętereundum eſt, ꝙ quantũlibet femur & tibia vnũ mẽbrum componant, ſi ad actionem, quæ progreſſu perficitur, reſpicias: poteſt tamen eorum vtrunq; abſq; vlla calumnia membrum appellari, vt merito posſimus affirmare venam, ſi ſecaretur propè talum ex bubonis latere, non eſſe ſectam in eodem membro, idq; magis, ſi rationẽ aliquam voluerimus habere interualli illius, quod inter affectum locum intercidit, & ſectam venam. Sed ſit denique, vt illi lubet, & habeatur etiam vt vnum membrũ femur, & tibia; cuius extremę partes ſuperiores interius

ſint inguina, exterius coxendix, & partes illi attinentes; inferiores, pes, & calcaneus; quibus ſic ſe habētibus gratum mihi deinde eſſet ab his ſciſcitari, aliā ne ob cauſam ipſi putem interdici, quominus, cum membrum phlegmone, aut alio defluxorio laborat morbo, mittatur ſanguis, aut alioquin euacuetur, per aliquam illius partem, quàm eam, quæ. 13. Thera. meth. introducitur à Gal. quia ſcilicet in phlegmone, cęterisq; defluxoriis morbis procul ſunt auertendi ſucci, non in ipſum affectum locum deducendi. Quod ſi ita ſit, & ne ad bubonem ſecta vena pedis eiuſdem partis deducantur, præcipimus in altero, & oppoſito venam ſecari, hoc etiam ab illis libenter adiſcere, quos ſuccos timeant, ne in bubonem trahãtur, cum eiuſdem lateris in pede venam ſecaturi ſumus, eos ne (vt eorum verbis vtamur) qui fluxi iam in circunſtantibus vicinisq; partibus continentur, vel potius eos, qui in ſuperioribus, & remotioribus, ſi vicinos dixerint, ad quos in omnibus ſuis anguſtiis videtur Curtius, tanquam ad aſylum confugere, ab omni ſtatim ratione illos putauerim aberrare: Succi enim vicinarum partium, ſi ex ea vena ſecta mouebuntur, ſicuti per venam, à qua illa quæ ſecatur deriuatur: quę ſcilicet per femur vniuerſum diſcurrit, in partes vicinas ſunt delati per eos ramos, qui ab eadē diſpertiuntur, ita dum ſequentur motū factum à venę ſectione in eandem redibunt, & tandem extra deducentur, ut non amplius obeſſe posſint. Etenim & ipſe hac eadem ratione contendebat, in pleuritide, cum vena in cubito eiuſdē lateris ſecatur, reuellere. Quòd ſi potius remotiores ſuccos timeant, & eos, qui in partibus ſuperioribus, ne forte ex vi ſectionis venæ exagitati, impellantur in vicinas primum partes, & ex illis tandem in inflammationem, dicant quæſo, cur id ipſum, cum in vteri affectibus, aut veſicæ, aut coxendicis venā in poplite, aut prope talum ſecant, non timent? Neſcio profectò quomodo in bubone

in quo

in quo adeo non eſt plurimum timendus influxus ſucci, vt quandoq; omni (vt aiunt) ope in eum locũ, ſi fieri poſſit, ſit attrahendus; cum ſcilicet morbus eſt peſtilens, is ſuboriatur timor, cuius tamen in illis earum partiũ affe-ctibus, ne meminiſſe quidem videntur. Adaugeret etiam non parum illis difficultatem, ſi hoc pręterea adderemus ꝙ coxendicis dolor ab eiuſdem membri affectu prodit, cuius bubo: inguina .n. & coxendix partes femoris ſupremæ ſunt, quæ è directo, & vt Hippocraticè loquamur, κατ᾽ ἴξιν ſe reſpiciunt, altera quidem exterius, altera interius, quæ eandem pariter habēt cum vena tali, aut poplitis affinitatem, eādemq; ferè propinquitatem: imo hoc magis habet dolor coxendicis, ꝙ cum inualeſcit, nō modo ſupernas partes circa iuncturam detinet, ſed exterius vniuerſum femur, vt interdum genu tranſiens ad pedum vſque digitos deſcendat, vt plurimum ſit intrandum ſi timeamus venam pedis eiuſdem lateris in bubone ſecare, quam non timemus in coxendico dolore. Ecce quot præmantur anguſtiis, qui nouæ huic ſectæ ſunt addicti, quæ nos ne attingunt quidem. Ab illis enim nos facillimè poſſumus, & minimo negotio expediri, ab iis, quæ ſuperius expoſuimus, occaſione arrepta. Dicimus enim vacuationes & reuulſiones, quæ in initiis inflammationum & aliorum morborum cauſam habentium reuma, moliēdæ ſunt, non vnam poſſe habere rationem, ſed multas variasque pro varia affectorum corporum, & affectuũ conditione. Nam ſi multa fuerit repletio, aut vehemens impetus irruentis ſucci, timeamusq; præterea, ne nimis excreſcat phlegmone, reuulſionem, euacuationemq; aggredimur, quanto magis procul poteſt, & per contraria: Quod, ſi neque multa ſit plenitudo nec multus impetus ſuccorum, & inflammatio non multa, non eſt neceſſe tūc remotiora aggredi: minori enim egemus reuulſione, ſicuti (ut tandem ad Gal. reuertamur) ſi genu, vel pedes

arripiantur inflammatione: illud primum perpendendũ eſt, an vt corporis multa plenitudo, quæ ſuperiores quoque partes repleat, vnde plurima timeatur tumoris auctio: è ſuperioribus enim venis ſtatim mittimus ſanguinem. Quòd ſi ea multa non ſit, & ſolum in infernis partibus, ſatis erit ex oppoſito pede detraxiſſe. pôt vero adeò eſſe leuis, ut poſſet nobis ſatisfacere in pede eiuſdem lateris ſecare venam, immo quandoq; abſq; vlla poſſemus misſione ſanguinis curam aggredi. Quod, ſi animum his quæ à Gal. dicuntur, voluerimus aduertere, nihil aliud illum in hac varietate ſenſiſſe videbimus. quippe qui in cõmentariis 6. Epide. lib. 2. vt dixit, ſi reuma in pedes, vel tibias decubuerit, aut ſanguinem è cubito mittemus, vel vomitu purgabimus, ſubiungit. Non enim, vt nonnulli, ſentiendum eſt, qui nunquam ſurſum eſſe reuellendũ putant, quanuis ſucci ad infernas partes delati, morbũ etiã vehementem ſint effecturi. Ecce, cum magnum timemus morbum, ad ſuperna reuellendum eſt in affectibus infernarum partium. Idem quoque non obſcurè monſtrant verba citata 2. lib. ad Glauco. cum inquit. Si genu defluentibus ſuccis ſtatim, & plurimum intumeſcat, tibique corpus plenum videatur ſanguine, eget profectò euacuatione per ſupernas partes: quare opus eſt ſanguinem mitti à venis in cubito. Et hanc putamus eſſe eam exiſtimationem, quam voluit Gal. 13. Thera. metho. tum phlegmones magnitudinis, tum corporis totius ſtatus, cum circa reuulſiones per remotas partes moliendas deliberamus, eſſe ſemper ſemper habendam, nõ illam, quam Curtius finxit, ſi tamen ipſe per ſeipſum Galenus ſit exponendus.

Finis.

HAEC vero, quæ ita non pinguiori modo, ſed rudiori etiam ſcripſimus minerua, vos, ſi qui eritis, qui curſim, aut ſaltuatim interdum legere patiemini, rogatos volo, vt, ſi quid perperàm, aut expoſitum, aut omnino conſcriptum repereretis, boni velitis conſulere: non enim, vt ab initio monuimus, ea in publicum edituri compoſueramus, ſed vt intra domeſticos parietes ſuſtineremus, nobisq́; potius, quàm aliis, & addiſcẽdi, quàm docendi cauſa. Proinde vos hoc quoque monitos velim, iſta nos eatenus eſſe, aut aſſerturos, aut defenſuros, quatenus doctiorum virorum cenſura fuerint iudicata rationi, & probatiſſimis Authoribus conſentientia. Neque enim in his alioquin volumus eſſe adeò pertinaces, quin & ſententiam facillimè, ſi meliora doceamur, ſimus mutaturi. Quòd ſi forte, ex inſperato tamẽ, hæc vobis aliqua ſaltem ex parte probari viderem, excitaremur vt è tenui noſtro promptuario, vel obolum aliquando depromentes in ſacrum medicinæ ærarium conferre nitemur. Valete.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
208,291

obl. compa

BIBLIOTECA